



Specimen apologetica-theologicum de ultimorum Christi sermonum quos refert Joh. Ev. C. XIII: 31 - XVII, authentia

<https://hdl.handle.net/1874/319004>

5

SPECIMEN APOLOGETICO-THEOLOGICUM

DE

ULTIMORUM CHRISTI SERMONUM,

QUOS REFERT JOH. EV. C. XIII: 31—XVII,

A U T H E N T I A .

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY 101

LECTURE NOTES

BY [Name]

DATE

CHAPTER I

THE NATURE OF PHILOSOPHY

1.1 THE SCOPE OF PHILOSOPHY

1.2 THE HISTORY OF PHILOSOPHY

1.3 THE METHODS OF PHILOSOPHY

1.4 THE IMPORTANCE OF PHILOSOPHY

1.5 THE FUTURE OF PHILOSOPHY

1.6 THE CONCLUSION

1.7 THE APPENDIX

1.8 THE BIBLIOGRAPHY

1.9 THE INDEX

1.10 THE GLOSSARY

1.11 THE NOTES

1.12 THE REFERENCES

8

SPECIMEN APOLOGETICO-THEOLOGICUM

DE

ULTIMORUM CHRISTI SERMONUM,

QUOS REFERT JOH. EV. C. XIII: 31—XVII,

AUTHENTIA,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FRANCISCI CORNELII DONDERS,

MED. DOCT. ET PROF.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

FREDERICUS GUILIELMUS MERENS,

RHENO-TRAJECTINUS,

D. XXV M. JUNII A. MDCCCLII, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCLII.

INSTITUTIONE DI ...

1844

OTTIMO GABISSIMO

DI ...

... GULLER ...

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

NEC NON

DILECTISSIMAE MATRIS

PIAE MEMORIAE

SACRUM.

PRATIKA

UTAMA GARIBESIMO

DE AGRIKULTURAE MATRIAE

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRATIKA

PRAEFATIO.

Studiis meis academicis ad finem vergentibus, me quoque cepit desiderium, ut argumentum quoddam theologicum tractandum mihi sumerem, quod tum, temporis nostri ratione habita, alicujus momenti esse videretur, tum viribus meis aliquatenus conveniret. Cum igitur in ultimos Christi sermones, a Johanne nobis traditos, oculi mei converterentur, ac nonnulla de iis proferri posse mihi viderentur, momento apologetico haud destituta, — quos studia mea fructus ferrent, inquirere suscepi. Quas juvenilis laboris primitias ut benevole lector accipiat, peto.

Opportunitatem mihi datam esse gaudeo, Viri Clarissimi!, quorum lectionibus interesse mihi contigit, quas gratias Vobis agere possim pro omnibus, quae Vobis debeam, et quorum memorem semper me fore credatis! Vos praesertim, Cll. Bouman et Royaards!, qui studiis meis singulari ratione affuistis, variisque amicitiae beneficiis me donastis, ut grati animi sensum haud recusetis, quo erga Vos imbutum me sentio, etiam atque etiam rogo. Te vero inprimis compellare liceat, Promotor Exoptatissime, Cl. Vinke!, qui, caeteris meis in studiis optime de me meritus, in ultimi operis mei academici tutela suscipienda, summa benignitate erga me versatus es, familiarique tua institutione egregie me adjuvisti. Ne gratiarum spernas actiones, quas intimo ex animo in Te confero. Utinam Te collegasque tuas diu servet D. O. M., summa Cujus beneficia et Tibi et Illis ex imo pectore apprecor!

Jam ad Te me converto, carissime Pater!, qui, optima cum Matre conjunctus, summa cura intimoque amore a teneris inde me prosecutus es. O utinam Illam quoque compellare hinc possem, cui tanta debeo, cujusque memoria, semper pie colenda, mihi sancta est! Sed aliter voluit Deus sapientissimus. Et Tibi autem et Illi, licet eheu! nobis ereptae, pro singulari vestro amore, cui

justum pretium me statuere non posse sentio, pro
eximia vestra institutione, cujus laudes celebrare neque
huius loci est, nec mihi filio convenit, pro omnibus
beneficiis vestris, quae nunquam reddere me posse
doleo, gratias habeo quam maximas. Accipe praeterea,
Pater dilectissime!, cum quo et artissimo amicitiae vin-
culo me junctum sentio, filii accipe gratias pro egregio
tuo labore, quo in omnibus meis studiis et Tu mihi
affuisti, quo juvenem me duxisti, quo me viam docuisti
salutis, in uno Christo quaerendae, quem mihi denun-
tasti ut σοφίαν ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνην τε καὶ ἁγιωσμὸν
καὶ ἀπολύτρωσιν. Faveat Tibi Deus, qui hucusque Te
sustentavit, diuque, si fieri possit, Te servet incolumem,
ut tum coetui tuo, tum et mihi, utilissimis tuis monitis
et consuetudine adesse pergas; — donec aliquando Tibi
contingat σὺν Χριστῷ εἶναι, quod et Te πολλῶ μᾶλλον
κρείσσειν habere, scio!

Nec vos negligere oportet, Sodales conjunctissimi!, quo-
rum commercio hac in academia gavisus sum. Nun-
quam sune e memoria evanescent dies illi, quibus, vitae
curas fere ignorantes, laeti nobiscum invicem conversa-
bamur. Ne me obliviscamini, eorum semper memorem,
quibus et vestra mihi profuit consuetudo. Felices vivite, —
beati moriamini!

*Denique vero, Deus Optime Maxime! Pater in Christo,
Filio tuo, clementissime! quis ego sum, quem hucusque
tulisti? Quot me beneficiis Tu cumulasti! Gratias meas
benignus accipe precor. Hujus quoque peracti laboris
Tibi uni sit laus et gloria, εἰς ὃν τὰ πάντα!*

CONSPECTUS.

	Pag.
INTROITUS. Disquisitionis consilium et ratio.	1.
SECTIO I. Authentiae, ultimis Jesu sermonibus vindicandae, descriptio.	9.
§ 1. Quale, salva horum sermonum authentia, inter ipsos illos, eorumque nobis traditam relationem, discrimen admitti possit.	11.
§ 2. Quale, inter ipsos hos sermones, eorumque nobis traditam relationem, salva illorum authentia, discrimen obtinere nequeat.	22.
SECTIO II. Difficultas psychologica, ex ultimorum Jesu sermonum longitudine inprimis ducta, quomodo solvenda?	36.
§ 1. Utrum sine extraordinario Dei auxilio Johanni concesso difficultas, de qua agimus, solvi possit.	37.
§ 2. Utrum extraordinarium cogitari possit Dei auxilium Johanni concessum, quo difficultas, de qua agimus, solvatur.	52.

301
 SECTIO III. Dubia exegetico-historica, adversus ultimum Jesu
 sermonum authenticam mota, quomodo refellenda? 67.

301
 CAPUT I. De dubitationibus, ex horum sermonum cum Synop-
 ticorum relationibus vinculo haustis. 68.

301
 § 1. De externa horum sermonum cum traditione Synoptica
 conjunctione. 69.

301
 a. De his sermonibus, fere totis a Synopticis neglec-
 tis. 69.

301
 b. De S. Cocnae institutae commemoratione, a Johanne
 neglecta. 73.

301
 § 2. De interno horum sermonum cum Christi imagine Syn-
 optica vinculo. 77.

301
 a. De doctrina Christi, his sermonibus tradita, a Synop-
 tica Ejus doctrinae relatione diversa. 77.

301
 b. De diversa, in qua, ex Synoptica Johanneaque rela-
 tione, ultimo vitae vespere Christus versatus fuerit,
 animi conditione. 84.

301
 § 3. De quorundam Christi dictorum, his in sermonibus ob-
 viorum, cum aliis Ejus dictis, ex Synopticorum narra-
 tione alia opportunitate editis, similitudine. 88.

301
 a. De c. XIV: 30, 31, coll. Mt. XXVI: 45b, 46. 88.

301
 b. De c. XV: 18—XVI: 4, coll. Mt. X: 16 sqq. et
 Luc. XII: 4—12. 95.

301
 CAPUT II. De dubitationibus, ex horum sermonum cum ipsis
 scriptis Johanneis conjunctione petitis. 101.


301
 § 1. De Montanismi indicis, quae his sermonibus inesse di-
 cuntur. 101.

301
 § 2. De peculiari consilio, cujus gratia hos sermones finxisset
 Evangelista. 111.

301
 a. De discipulorum fide, his in sermonibus Judaeorum
 ἀπιστίας opposita. 111.

301
 b. De his sermonibus, doctrinae de τῷ λόγῳ expositio-
 nem continentibus. 121.

	Pag.
§ 3. De iis, quae, cum universa Christi imagine Johannea haud congruentia, his sermonibus inesse dicuntur.	126.
<i>a.</i> De ratione, qua de Judaeis loquitur Christus, cum Ejus origine e gente Judaica non congruente.	126.
<i>b.</i> De obscuriore Christi dicendi genere, contra Ejus sa- pientiam pugnante.	128.
§ 4. De horum sermonum convenientia cum ipsius Johannis verbis, in Ev. et prima Epist. Joh. obviis.	134.
SECTIO IV. Authentiae, ultimis Jesu sermonibus tribuendae, comprobatio.	145.



ERRATA.

Pag. 13 lin. 13 *pro*: sing. *lege*: plur.

" 116 in ann. " *sententiae* " *sententia*.

INTROITUS.

DISQUISITIONIS CONSILIUM ET RATIO.

Jesus Christus hominum Conservator, in vita, quam degit, terrestri praeter varia alia id egit, ut discipulos suos, quos itinerum totiusque hac in terra commorationis elegerat socios, de rebus, ad regnum coelorum, ab Ipso condendum, spectantibus, singulari ratione instituerit. A Patre enim ad homines, qui peccando a Creatore aberraverant, missus, divini amoris Evangelium, quo ad Deum illos reduceret, et Ipse iis denuntiavit, et per Apostolos denuntiandum curavit. Quum enim Ipse, paucis e gentibus oriundis exceptis, non nisi cum populo Judaico, quatenus in terra Palaestina id temporis degebat, attentasque Ei aures praebat, doctrinam suam communicare potuerit, *Apostolis* Ei opus fuit, qui tum ipsos Judaeos ad fidem Messiae tribuendam adducerent, tum per varias orbis

terrarum regiones, salutis, ad omnes omnino gentes pertinentis, dispergerent cognitionem.

Quod ut rite exsequi possent munus Apostoli, varia ratione aptos eos reddidit summus Praceptor. Multa vero inprimis eos *docuit*, ex quibus tum vitae Ejus, praesertim humanae, consilium, tum salutis, ad quam afferendam venerat, adipiscendae rationem cognoscerent. Praeterea varia iis praedixit, quae ad sortem eorum futuram, nec non ad auxilium, quod, ut opus iis mandatum rite perficerent, largiturus iis erat, spectabant.

Quorum omnium dum plurima ad nos pervenerunt documenta in *Synopticorum* scriptis, neque *Johannis* Evangelium iis caret. Ad quod probandum summo jure provocare licet ad Jesu sermones, quos ultimo ante mortem vespere¹⁾ habuisse narratur Joh. cap. XIII : 31-XVII.

1) Sic enim post ea, quae hac de re viri docti disputarunt, statuendum esse videtur. Scilicet *δειπνον*, cujus mentio fit e. XIII : 2, idem esse atque ultimam, de qua loquuntur Synoptici, Jesu coenam, satis apparet ex comparatione instituta tum inter ss. 21—30 et Mt. XXVI : 21—25, tum inter ss. 36—38 et Luc. XXII : 33, 34; ut et ex Joh. XVIII : 1 sqq, unde patet, Christum eadem, qua praecedentia elocutus erat, nocte, captivum abductum fuisse ad Cajapham. Si autem ea, quae epp. XIV—XVII reperiuntur, alia opportunitate dicta essent, quam quae e. XIII occurrunt, certe hac illave ratione scriptor illud annotasset, interjectis saltem verbis: *μετὰ ταῦτα εἶπεν ὁ Ἰησοῦς* vel similibus (cf. c. II : 12, III : 22, al.) Licet enim nonnunquam, quae variis temporibus elocutus fuerit Christus, a Matthaeo praesertim et Luca conjungi sumas, illud h. l. a Johanne factum esse, vix statui potest. (Cf. quae monemus Sect. IV). Neque ex c. XIV : 31 effici potest, verba epp. XV—XVII relata, ad aliud tempus pertinere, quam quae epp. XIII, XIV leguntur, qua de re postea pluribus agendum erit. (Cf. Sect. III. C. I. § 3.) Nec denique hinc nostra refert, utrum coena, de qua diximus, secundum Johannem fuerit coena Paschalis, prouti ultima Christi coena a Synopticis

Caveamus vero, ne hac in re omne horum sermonum cerni statuamus momentum. Plurima enim continent, quae omnibus, Christo fidem habentibus, gravissimi sunt ponderis. Quid? quod nulla hęc reperiuntur, e quibus vel lucem non accipiat doctrina Christiana, vel quibus non augeantur tum fides Christo tribuenda, tum amor, quo prosequi Eum nos oportet. Quod, si ad *sermonum*, de quibus dicimus, attendatur *argumentum*, sponte elucet. Etenim Jesus in iis informatur ut Dei Filius, Ejusque legatus in terram missus, in quo et per quem Se patefecit Ille hominibus; quorum ad salutem, Patris in gloriam, Filii opera tendunt. Hic vero suorum est Praeceptor et Conservator, qui, postquam ad coelum redierit, nihilominus illorum curam est habiturus, Spiritumque S. iis missurus. Discipuli igitur arctissimo cum Deo Christoque, necnon inter se

informatur. Qua de quaestione, cum alia, mortis Christi diem spectante, epuncta consulantur praeter antiquiores (ut Lundius, *Heiligdommen caet.* II. p. 673 sqq. aliique): Usteri, *Comment. crit. in qua Ev. Joh. genuinum esse caet.* Turici 1823. p. 13 sqq.; Wieseler, *Chronol. Synopse der 4 Ev.* 1843. p. 339 sqq.; Baur, *Krit. Untersuch. über die kanon. Ev.* 1847. p. 269 sqq.; Lücke, in *Joh.* 3^e Aufl. ad XVIII: 28; Bleek, *Beiträge zur Ev. Krit.* 1846. p. 33 sqq., 107 sqq.; Winer, *Azctv. Jo. XIII num πασχα fuerit* 1847; Weitzel, *Christl. Passah-feier* 1848 p. 296 sqq.; Ebrard, *Krit. der Ev. Gesch.* 2^e Aufl. p. 503 sqq.; Paschke in *Theol. Quartalschr.* Tüb. 1851. III. p. 410 sqq.; aliique; et e nostratibus: v. Oosterzee, *Leven v. Jezus* III. 1. p. 4 sqq. et Niermeijer, *over de echtheid der Joh. schriften* in opp. Soc. Hag. 1852. p. 374 sqq. Quicquid vero hae de re statuendum sit, constat, et coenam XIII: 2 memoratam, et sermones XIII: 31—XVII ultimo ante Christi mortem vespere obtinuisse, licet contraria sententia exposita inveniatur apud Lilienthal, *Oordeelk. Bijbeloerkl.* III. p. 536 sqq.; Crome, *Probab. haud probab.* p. 140 sqq., aliosque.

invicem conjuncti sunt vinculo, omnesque, licet gravissimis pressi persecutionibus, servabuntur incolumes, donec in sedes coelestes et ipsi recipientur. Quae, etsi primo loco undecim tantum spectant Apostolos, magnam tamen partem ad eos quoque pertinere censenda sunt, qui illorum verbo commoti, fidem in Christo reponant.

Summi igitur momenti est, ut de horum sermonum *authenticia* certo nobis constet. De qua quam diversae circumferantur sententiae, notum est. Alii enim credunt, et hos, et caeteros, qui in Evangeliiis tanquam a Christo enuntiati reperiuntur, sermones magis minusve ad verbum, certe quod ad argumentum attinet, vere ab Eo habitos esse; qua tamen in re accurate definienda mox varias oriri difficultates, apparet. Alii contra liberos eos habent Christi orationum imitationes, ad quas construendas Ejus discipuli sententiis quibusdam usi sunt, quas Christum, data hac illave opportunitate, dicentem vel explicantem audierint; qua in re nonnulli Synopticis, alii Johanni majorem tribuunt auctoritatem. Aliis denique Evangelistae in his sermonibus scribendis suis prorsus fuisse videntur. Neque est, quod plura tueri conemur, quam quae jure defendi possint. Ab altera enim parte nimium probare voluerunt, qui Jesu sermones ad verbum literis mandatos esse statuerunt, atque adeo absolutam omnium verborum authenticam defendere conati sunt.

Quam ob rem hoc nobis informavimus consilium ut indagaremus, quo sensu ultimis hisce Jesu sermonibus authenticam tribuenda sit, s. quatenus ut ab ipso Christo profecti haberi debeant. Unde simul apparere poterit,

qua universe via atque ratione in disquisitionibus de caeterorum Jesu sermonum authentia instituendis agendum sit. Ex rei natura enim sequitur, haud pauca hac in causa monenda nobis esse, quae, quum non ad ultimos tantum, sed ad alios etiam, vel ad omnes, quorum ad nos pervenit notitia, Jesu sermones pertineant, in caeterarum aequae ac ultimarum Ejus orationum authentia dijudicanda valere videantur ¹⁾.

Pauca vero praemonenda quoque sunt de principiis, quae nobis vindicamus, theologicis. Scilicet hisce nostris temporibus magis magisque apparuit, in rebus theologicis quoque valere proverbium: „Contra principia negantem non est disputandum”; ita ut, me item iudice, omnis irritus futurus sit labor, quo homini, Deismum, vel Pantheismum profitenti, persuadere quis conetur, vera esse omnia quae in Evangeliiis relata inveniuntur. Quod quantam vim habeat in Apologetica Christiana, quis est, qui non videat? ²⁾.

Neque igitur nostrum esse potest consilium, ut hac disquisitione aliquis Pantheismo ³⁾ addictus, ad talem, qualem nos hisce sermonibus vindicare volumus, authenticam agnoscendam permoveatur. Tam intima enim harum quoque orationum cum tota historia Evangelica,

1) Ex ipsa autem disquisitione nostra appareat, ultimos Christi sermones huic quoque assequendo consilio prae caeteris aptam praebere materiam.

2) Cf. omnino hac de re Doedes, *Jaarbb. v. Wetensch. Theol.* VIII. 4 p. 662 sqq.

3) De solo Pantheismo hic dico, quoniam nostro tempore cum hoc praesertim pugna est. Cujus igitur adseclae pro omnibus Theismi adversariis afferri jam possunt.

miraculis plena, conjunctio est ¹⁾, ut Pantheista authenticas eas habere vix possit. Si igitur earum authenticam ei persuadere velles, *mathematicis*, ut ita dicam, haec demonstranda esset argumentis, quibus cogeretur, ut ipsum missum faceret Pantheismum, quippe cui ejusmodi obstarent difficultates, quarum veritatem jam non adeo *crederet*, sed *videret* (Hebr. XI : 1), prouti non *credimus*, sed *videmus* propositionis mathematicae veritatem. Hoc vero argumentis historico-criticis nunquam effici potest. Nam res factae, quae praesentes non adsunt, nullo modo *demonstrari* proprio sensu possunt. Semper in his requiritur *fides* ²⁾. Quae vero in Pantheista postulari nequit, ubi historiae insunt res, quae cum ipso pugnent Pantheismo. Si igitur indicare conamur, quo sensu his sermonibus authenticam tribuenda sit, id tantummodo spectamus, ut appareat, quomodo *Theismi ex principiis* hac de re sit judicandum.

Sed aliud est, quod Pantheismi coram adseclis ostendi possit. Scilicet tum hi, tum et alii nonnulli vel ex ipsa historia sacra, vel ex N. T. librorum interna ratione varia attulerunt dubia, quae cum philosophis eorum principiis non cohaerent, et coram iis quoque solvi possunt. Quae igitur si vere solvantur, apparet, non nisi ipsa principia philosopha esse, quae efficiant, ut res, de quibus instituta sit quaestio, veras illi non habeant.

Inprimis vero coram *Theismo* nostrum est ostendere, quas ob causas ultimis Jesu orationibus Johanneis veri

1) Cf. XIV : 11; XVI : 13, 30; XVII : 5 al.; inpr. XIV : 26, ut apparebit Sect. II. § 2.

2) Cf. Doedes, l. l. p. 690.

nominis authentia jure tribuenda sit. Haec autem disputatio, ut ex indole ejus apparet, cum Evangelii Johannei authentia arctissime juncta est. Licet enim sermones illos habere quidem potuerit Christus, etsi eos non notaverit ipse Johannes, — attamen hoc quoque loco, ut saepius obtinet, libri authentia scriptoris axiomatae probandae velut efficit fundamentum, et ad scribendi ejus consilium indagandum viam parat. Quum vero ad Evangelii Johannei authentiam comprobendam, peculiaris, eaque nostro imprimis tempore satis ampla requireretur disquisitio, a consilio nostro aliena, a multis vero aliis jam suscepta ¹⁾, ad eorum provocare laborem, Evangeliique authentiam sumere mihi liceat. Quod tamen non impediet, quominus eas quoque tractaturi simus dubitationes, quae ultimarum Jesu orationum authentiam oppugnantes, simul etiam annotationem earum aggrediuntur Johanneam.

1) Off. scriptores laudd. a Bretschneidero in opere: *Entwicklung aller in der Dogm. vorkomm. Begr. in loco*, et a Guerikio, *Eint. caet. in loco* (p. 308. Not. 3). Deinde Hauff, *Echth. v. 't Ev. v. Jo.* in *Opp. Soc. Hag.* 1829 (cujus editionem German. laudavit etiam Guerike l.l.); Tholuck, *Glaubwürdigk. der Ev. Gesch.* 1837. p. 270 sqq.; Weisse, *Ev. Gesch.* 1838. I. p. 96 sqq.; Lücke, in *Joh.* 3^e Aufl. (1840, 1843) I. p. 41 sqq. (*Eint.* § 3—8); Neander, *Leben J.* 4^e Aufl. (1845) p. 178 sq. in not.; Schenkel, *Stud. u. Krit.* 1840. p. 711 sqq.; Frommann, *Stud. u. Krit.* 1840. p. 853 sqq. et *Joh. Lehrbegr.* 1839. p. 24 sqq.; Schweizer, *Das Ev. Joh. caet.* 1841; Thiersch, *Versuch zur Wiederherstell. d. hist. Stp.* 1845. cap. II—IV; Ebrard, *Das Ev. Jo.* 1845, et *Krit. d. Ev. Gesch.* 2^e Aufl. (1850) p. 828 sqq.; v. Oosterzee, *Leven v. J. I. l.* p. 128 sqq.; Bleek, *Beiträge zur Ev. Krit.* 1846 (passim); Lechler, *Das apost. u. nachap. Zeitalter caet.* in *Opp. Soc. Teyler.* 1848. p. 129 et scriptores ab eo laudd.; Niermeijer, l. l. in *Opp. Soc. Hag.* 1852. p. 292 sqq.

Tandem vero, si de disceptationis nostrae ordine quæras, *primum* authentia, hisce sermonibus vindicanda, definienda erit. *Deinde*, quum psychologica difficultate, ex eorum longitudine inprimis ducta, authentia illa prematur, indagandum erit, quo modo hæc tolli possit. *Porro* refellenda sunt dubia exegetico-historica, quibus eorundem sermonum authentia oppugnata est. *Denique* remotis dubiis contra eam allatis, argumenta in medium proferenda sunt, quibus illa comprobetur.

SECTIO I.

AUTHENTIAE, ULTIMIS JESU SERMONIBUS VINDICANDAE, DESCRIPTIO.

Primo loco jam sese nobis offert quaestio, *quamnam* authenticam hisce sermonibus vindicare velimus. A cujus igitur definitione incipiendum est. Nam, ut notum est, alter alterius verba vel magis, vel minus ad literam tradere potest. Vel sermonis alicujus summa tantum, alia prorsus adhibita dictione, notari potest; vel haec illave dicta, partim ad verbum quidem tradita, sed aliis liberius redditis permixta, vel variorum sermonum, variis temporibus habitorum, partes in unum conjunctae tradi possunt. Quibus variis casibus, qui innumeris fere aliis augeri possint, diversus obtinet authenticæ gradus; qui tam exiguus esse potest, ut, quae authentica dicatur, vix digna sit oratio.

Itaque maximi momenti est indagare, quale inter ipsos sermones, eorumque relationem nobis traditam, salva

authentia, discrimen admitti tum possit, tum nequeat. De quo nisi constet, omnis authentiae comprobatio hoc quoque loco vana est atque inanis. Si enim multas post disquisitiones — (quibus ab ipso Johanne conscriptum esse Evangelium, fraudisque consilium scriptori non fuisse ostenderis, et quae plura huc pertineant, tractaveris) — sermonum authentiam universe spectatam comprobaveris, — mox vero appareat, tam levem esse hunc authentiae gradum, ut eo nomine vix dignus sit, quoniam ex ipso scriptoris consilio liberae tantum Jesu orationum imitationes hinc agnoscendae sint, — multum sane laborem perdideris, nec fructum quendam perceperis, nisi quod apparuerit, Jesu sermones ¹⁾ authenticos ex vero dici non posse. Dubium enim manebit, quid ipsi Christo dicenti, quid Johanni narranti tribuendum sit; vel, ut hodie dici solet, tenendum erit hos sermones per mentem animumque Johannis ad nos venisse ²⁾; qua dicendi formula, licet in se spectata rem veram exprimat, tantae saepius indicantur mutationes, — ne mutilationes dicam, — a Johanne in referendis Christi

1) Liceat brevittatis causa voces *sermo* et *oratio* etiam de *orationum relatione* usurpare. E contextu facile apparet, quibus ill. vocabulis illis tribuendus sit hicce sensus, e vulgari usu loquendi praeterea satis notus. Caeterum ambiguitatis evitandae causa, ubi de sermonum *authentia* loquimur, semper *eorum origo* spectatur a *Christo repetenda*; ubi contra *eorum relatio ab ipso Johanne profecta* intelligitur, semper de *eorum annotatione Johannea* locuti sumus. Denique per *sermones* s. *orationes* etiam significantur Christi *preces* (cap. XVII), quarum disertam ubivis mentionem facere, postquam semel eas indicavimus, haud opus videbatur.

2) Germ. „Dass diese Reden durch die Persönlichkeit des Johannes hindurchgegangen sind.“ Cf. e. c. Schweizer, *Ev. Jo.* p. 279.

sermonibus iis illatae, ut *orationum Jesu* vix amplius iis conveniat nomen.

Paucis igitur varios authenticæ gradus recenseamus, adumbremus, dijudicemus, ut pateat, quousque, salva vera sermonum authenticâ, progredi liceat in accipiendo discrimine, quod inter ipsos Jesu sermones, eorumque relationem, a Joh. nobis traditam, obtinere possit.

§ 1.

Quale, salva horum sermonum authenticâ, inter ipsos illos, eorumque nobis traditam relationem, discrimen admitti possit.

Incipiendum est ab ea sententia, quæ, ut notum est, ad saec. 18 usque in Protestantium quoque viguit Ecclesiis, ex qua omnia, quæ in Codice s. reperiuntur, ad literam usque a Spiritu S. scriptoribus ss. extraordinariâ, eâque magis minusve mechanicâ, ratione patefacta fuerint¹⁾. Qua cum opinione juncta erat alia, ex qua Jesu orationes, ab Evangelistis notatae, ad verbum ita enuntiatae haberentur.

Atvero absolutam ejusmodi tribui iis non posse authenticam, facile apparet. Christus enim, — ut post ea,

1) Cf. *Hutt. Rediv.* 7^o Aufl. § 44. Vid. quæ adversus inspirationem literalem scripsit Tholuck, *Deutsche Zeitschr.* 1850. N^o. 42, 44; ut et quæ ex hac disquisitione excerpit Niermeijer, *Mag. v. Krit. en Exeg.* 1851. II. 2. p. 178 sqq. Fateor tamen, in nonnullis, imprimis locorum quorundam interpretationem spectantibus, cum Thol. me consentire non posse. Caeterum praeter alios hac de re cf. Merle d'Aubigné *L'Autorité des Ecritures* ect. Toulouse 1850. p. 108 in fine, 109 in fine.

quae hac de re scripta sunt, nunc jure, ut mihi videtur, a plerisque receptum est, — non Graeco, sed Aramaeo sermone ad Palaestinae incolas locutus est ¹⁾. Licet enim Christi tempore in terra Hebraica hominibus cultis mercatoribusque nota fuerit lingua Graeca, — quae quidem in vita communi usitata fuerit Hellenistis, qui ad tempus aliquod in Palaestina degerent, vel, cum antea in alia habitassent regione, ad patrias sedes reversi essent, — ii tamen, qui in terra sancta constanter domicilium servaverant, Judaei, Ἑβραῖοι erant, i. e. patrio utebantur sermone ²⁾. Etiamsi igitur Christus coram Syrophoenissa (Mr. VII: 26), coram Graecis Proselytis (Jo. XII: 20), coram Pilato aliisque nonnullis Graeca usus esse potuit lingua, ad τοὺς Ἑβραῖους tamen Aramaice locutus esse censendus est ³⁾. Neque ad Judaeam tantum regionem hoc pertinet. In Galilaea quoque ⁴⁾, licet mercaturâ cum exteris populis, imprimis Graecis, magis juncta, horum lingua remanserat peregrina, vel

1) Cf. inter alios Thiersch, *Versuch* caet. cap. 1.

2) Scil. Aramaico, non Hebraico, qui usurpari in vita communi desiderat; sicut satis notum est ex historia: cf. Mr. V: 41; VII: 34; XV: 34, et quae plura afert Wichelhaus, *De Novi Testamenti versione Syriaca antiqua* caet. Halis 1850. p. 29. At observandum tamen est, hoc non ita accipiendum esse, ac si plebi non amplius magis minusve nota fuisset dialectus Hebr. Solummodo nempe de ejus usu quotidiano nobis sermo est. Cf. Thiersch l. l. cap. I (in initio).

3) Quae sententia egregie confirmatur ll. Marcinis, modo in annotatione laud. Caeterum hac de quaestione vid. Hug, *Einl.* caet. I. Aufl. II. p. 29 sqq., et Hauff, *Echtheit v. 't Ev. v. J.* p. 140 sqq., quorum uterque argumentatus est ex Act. XXI: 40, coll. XXII: 2, aliisque ll. Dein cf. Wichelhaus, l. l. p. 27—31.

4) Cf. duo priores e ll. Marcinis, modo in annotatione laud.

saltem tantopere non invaluerat, ut inter se loquentes regionis incolae ea usi fuerint. Quam ob causam omnes quoque Jesu discipuli tuto Ἑβραῖοι haberi possunt.

Si vero cum discipulis disserens, Graeco sermone non usus sit Christus, neque ultimis Ejus sermonibus, quos retulerit Johannes, literalis s. verbalis tribui potest authentia. Quamquam enim peculiaris illa, quam hac opportunitate usurpaverit Christus, dialecti Aramaicae forma aliquatenus nobis ignota sit, ex universa tamen tum Graecae, tum Semiticae linguae indole satis effici potest, hujus Evangelii scriptorem sermones Jesu ad verbum tradere ubique non potuisse. Sic e. c. Graeca versione discrimen perire debuit inter 2 sing. Ind. eandemque Imperativi pers. (cf. XIV:1: πιστεύετε), quae Aramaico sermone a se invicem distingui potuerunt¹⁾. Caeterum aliae item formulae ad verbum traditae esse nequeunt e. c. ἔχειν ἐν (XIV:30), ἀποσυνάγωγον τινὰ ποιεῖν (XVI:2), quibus plura addi possent exempla. Denique hinc apparet, periodorum structuram grammaticam authenticam esse non posse²⁾.

Sed et aliud est, quod adversus absolutam sermonum Jesu authentiam testetur. Constat nempe, saepius apud varios Evangelistas eadem Jesu dicta, — i. e. talia, quae tum ejusdem sunt argumenti, tum diserte ad eundem narrationis parallelae locum ab iis referuntur³⁾, —

1) Cf. parad. Chald. speciei Aphel. Eod. modo in dialecto Hebr. structura differt: Ind. מְבַרְכֵם, Imp. מְבַרְכֵךְ.

2) Cf. Tholuck, *Glaubw. d. Ev. Gesch.* p. 340 in fine sq.

3) Hac de re enim nisi constet, discrimen inter Evangelistas, dicta Jesu referentes, horum authentiae verbali non adversatur. Ita e. c. mi-

parvo cum discrimine notata inveniri. Cujus rei exemplum ipsis ultimis Jesu sermonibus inesse mihi videtur: XIII:38^b coll. Luc. XXII:34¹).

Jam vero videamus, utrum, missa absoluta *verborum* authentia, *dicta* nihilominus authentica esse possint. Ad quam quaestionem solvendam observare liceat, ex rei natura sequi, *dictum* alicujus authenticum esse, si vel *cogitatio*, quam continet, vel *cogitationum completus*, ex quo compositum est, authenticus sit. Unde apparet, eorum tantum *verborum* authentiâ hîc opus esse, quae in dicti cujusdam sensu constituendo talem vim habent, ut, nisi mutatâ dicti s. cogitationis significatione, omitti aliisve permutari nequeant. Quod magis etiam cluget, si ad vitae communis attendimus consuetudinem, qua, si alicujus dictum nobiscum communicatur, verba haud curare solemus, nisi quatenus in dicti sensu constituendo vim habeant²). Si vero alicui dicto ejusmodi vox quaedam insit, omnino rogare solemus, utrum is, cujus dicta narrantur, ad verbum *ita*, an paulo aliter forte locutus sit. Christi autem verba, ad nos relata, si rite perpendantur, apparet, unumquodque

nime constat, Luc. VI:36 idem dictum referri, quod annotavit Matth. V:48.

1) Apud Joh., qui pauca tantum cum Synopticis communia habet, haud multa hujus rei exempla inveniuntur. Cf. tamen et Jo. VI:20 c. Mt. XIV:27 et Mr. VI:50; ut et alii pauci Joh. II. c. Synopticorum aliis. Caeterum luculentum discriminis ejusmodi invenitur indicium Mt. XXIV coll. Mr. XIII. Alia vid. apud Tholuck, *Deutsche Zschr.* et Niermeijer, *Mag.* II., ineunte § nostra laud.

2) Cf. Ebrard, *Krit. der Ev. Gesch.* p. 883 sq., coll. p. 76; a cujus sententia aliquatenus tamen dissentire mihi videor.

fere Ejus dictum varia continere, quae, nisi alius simul sensus oriatur, aliis verbis exprimi vix possint. Quod e gravi dictorum Christi argumento, eorumque momento dogmatico et morali facile explicatur.

E dictis sequitur, salva sermonum authentia, ea *Johanni* tribui posse verba formulasque, quibus alia parallela reperiri possint, quae si adhibuisset Christus, dicti, ad quod pertineant, idem tamen sensus mansisset. Neque igitur cum vera sermonum dictorumve pugnat authentia, si quaedam hic illic agnoscendae sint Evangelistae interpretationes, dummodo novas non inferant cogitationes. Cujus generis etsi paucae tantum reperiri poterunt, ultima e. c. c. XV : 2 verba: ἵνα πλείονα καρπὸν φέρῃ forsitan huc referri possent. Per se enim intelligitur, τὸ καθαίρειν, cujus facta erat mentio, nulli alii nisi huic ipsi inservire consilio, ut *plures fructus ferat* vitis.

Sed dicat fortasse quis: sic omnia nihilominus incerta sunt; quis enim dijudicabit, e quibusnam vocabulis pendeat locorum sensus, ita ut aliis permutari, salvo sensu, nequeant? Quod tamen si rite perpendatur, nullam fere difficultatem praebet. Plerumque enim facile ea distinguuntur, ita ut omnes consentiant. Sic e. c. summi momenti esse voces dicendique formulas: παράκλητος, πνεῦμα τῆς ἀληθείας, αἰτεῖν ἐν τῷ ὀνόματι τινός, alia, quisque concedet. Nemo contra dubitabit, quin verba: καὶ συνάγουσιν αὐτὰ (XV : 6): „et colligunt palmites fructus non ferentes, (ut flammis nempe tradantur)”, — nisi ad interpretationes ejusmodi, de quibus modo locuti sumus, referenda sint, — aliis etiam verbis permutari potuissent, quibus dicti sensus non mutaretur. Constans enim tantummodo sit notio τοῦ κείσθαι, quippe in qua,

propter similem palmitis haud fructiferae, hominisque Christo fidem non habentis sortem, rei cardo versetur. Quid item refert, utrum pro verbis, XV:14 quae leguntur, *ἐὰν ποιῆτε, ἃ ἐγὼ ἐπέλλομαι ὑμῖν*, si magis ad litteram tradita essent Christi verba, substitui debuisset: *ἐὰν τὰς ἐντολάς μου τηρήσητε* (cf. s. 10)? Quid denique interest, utrum XV:13 pro formula: *τὴν ψυχὴν θεῖναι δοῦναι*? Contra vero, si tota hujus sect. cogitatio Johannea habenda esset, quisque videt, omnem sermonum authenticæ perituram esse certitudinem, quoniam sic nova iis illata esset cogitatio, a Christo non oriunda.

Attamen ejusmodi esse dicendi formulas concedo, quae utrum ad loci, ad quem pertineant, sensum aliquid afferant necne, incertum sit, ita ut interpretum alter peculiare quid ex iis efficiendum esse statuatur, quod in dicti sensu vim habeat, alter ejusmodi quid in formulis illis non inveniatur. Sed tales quaestiones merae sunt hermeneuticae, et, vel posita literalis authenticæ, remanent eadem. Unicum igitur, quod inter utrumque casum — *positae* nempe atque *rejectae* authenticæ literalis — obtinet, discrimen in eo cernitur, quod, si, ea rejecta, vocabulum quoddam *ἀδιάφορον* tibi esse videatur, nunc praeterea concludas, fieri posse, ut non ab ipso Christo, sed a libri scriptore profectum sit, cuius rei, stante authenticæ verbali, sermo non fuisset. Sed talium formularum authenticæ, si novam non inferre tibi videantur cogitationem, hanc ipsam ob causam tua nil refert, omnique tibi caret momento. Verum igitur est, omnibus consentientibus, plane decerni non posse, quid Christo, quid Johanni tribuendum sit. Quod vero si

cui doleat, doleat huic itidem, quod non omnes de nonnullarum vocum formularumve significatione, vel momento idem sentiant. Discrimen vero illud sententiarum ipsa authenticæ dijudicandæ principia non spectat, sed ad rationem tantummodo pertinet, qua ad singulos locos hæc applicanda sint ¹⁾.

Merito igitur, si quid video, statuere jam licet, authenticam verbalem absolutam hisce Jesu sermonibus tribui quidem haud posse, eâ vero non opus esse, ut toti sermones jure authenticæ dicantur; dummodo voces illæ formulæque dicendi, quæ jure dictorum sensum definire statuuntur, tuto authenticæ haberi possint.

Sed alia etiam sunt, quæ hîc in censum veniant. Quaeritur nempe, utrum, sermonum authenticæ ut sumi possit, *omnia*, quæ in iis enuntiandis ediderit Christus, dicta tradita esse debeant; s., aliis verbis ut dicam, utrum, ut sermones dici possint authenticæ, de eorum etiam *integritate* constet, necesse sit.

Ex ipsis ultimis Jesu orationibus ad earum integritatem vel probandam, vel negandam, parum effici potest. Apparet quidem, nonnulla arctissimo juncta esse vinculo, ita ut sequentia ea excipere debuerint, quæ præcedant. In quibus sunt quaestiones, a discipulis motæ,

1) At ex iis tamen, quæ diximus, ansam capere liceat, ut animadvertamus, nobis, talem sermonibus Christi authenticam tribuendam esse statuentibus, qualem, quod ad ultimas Ejus orationes attinet, comprobare conabimur, a *nimia* cavendum esse interpretandi q. d. *ἀκριβείας*. Qui nempe in *qualicumque* voce peculiarem invenit causam, propter quam *et* nec aliâ usus sit Christus, ex sua quidem sententiâ, ejusmodi vocem jure authenticam habet, sed facile tamen in errorem incidere potest, quoniam sententiæ ejus fundamentum nimio *ἀκριβείας* exegeticae amore nititur.

Jesuque responsa, ad eas data (XIII: 36-38; XIV: 5, 6; 8, 9; 22, 23; XVI: 16-19; 29-31), aliaque id generis, apte cohaerentia (ut XVI: 8-11, al.). Pleraque vero optime quidem se invicem excipere *potuerunt*; utrum tamen revera exceperint, plane incertum est. Cogitationum nempe ostendi quidem potest nexus; sed eodem jure inter binas sese excipientes sectt. hiatus statui potest, quum fortasse omissa sit parenthesis, quae orationis non immutaverit cursum (Cff. e. c. XIII: 35 et 36; 38 et XIV: 1; 14 et 15; 31 et XV: 1; 11 et 12; XVI: 11 et 12; 22 et 23; al.).

Sermonum vero cum Synopticorum narrationibus comparatio nos docet, absolutam integritatem illis esse denegandam. Nempe ex Matth. et Marco apparet, S. Coenae institutionem inserendam esse vel post Joh. XIII: 35, vel, si mavis, post s. 30 vel 32 vel 33¹⁾. Item quae apud Lucam habentur c. XXII: 31-34 vel usque ad s. 38, post Joh. XIII: 36-38 ponenda esse, vel partim cum hoc loco coincidere videntur²⁾. Quae cum ita sint, absoluta jam cadit sermonum integritas, nec certiores esse possumus, utrum nullis aliis locis quaedam omissa sint.

Itaque rursus quaeritur, utrum, rejecta absoluta sermonum integritate, simul etiam cadat eorum authenticitas. Qua in re dijudicanda iterum comparanda est vitae communis consuetudo, qua saepe fit, ut in aliis cum alio communicandis orationibus, ea sponte omittamus,

1) Cf. infra Sect. III. Cap. I. § 1.

2) Praeterea, si coena Paschalis haecce habenda sit, hymnus finalis (Mt. XXVI: 30; Mr. XIV: 26) his orationibus hic illic inserendus esse videtur.

quae cum consilio, quod tradendis iis consequi studeamus, minus convenient 1). Sed *hanc ob causam* caetera ea, quae retulimus, authentica dicere nemo dubitabit; modo constet, — nam hac in re cardo quaestionis versatur, — ea, quae omissa sint, caeterorum non ita immutare nexum, ut totius loci sensus convertatur 2). De hoc vero quamdiu non constat, rogare solemus, utrum, ex vero orationis nexu, alius nobis tradantur enuntiata.

Quod ut exemplis illustremus, ex ultimis Jesu sermonibus petitis, nihil sane interest, utrum ellipsin, c. XIV: 10^b quae obtinere videtur, plenius elocutus sit Christus, ita ut sic legendum sit: τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ, καὶ τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ ποιῶ· ὁ δὲ πατήρ, ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς λαλεῖ τὰ ῥήματα, καὶ ποιεῖ τὰ ἔργα 3). Sic etiam XV: 1 alius quidem est nexus cogitationum, si conti-

1) Cf. Ebrard, *Krit. d. Ev. Gesch.* p. 76 sq.

2) Insigne hujus rei invenitur exemplum Mr. XIII: 32. coll. Mt. XXIV: 36. Posteriore nempe loco non habentur verba οὐδὲ ὁ υἱός, atque ommissa igitur est cogitatio, quae in l. p. Marcino addita est; cujus vero defectu totius dicti (i. e. caeterarum cogitationum, ex quibus hocce compositum est) non immutatur sensus, qui hic est: hominibus non datum est, diem scire, quo caet., quum et longe iis praestantiores adsint, qui eum nesciant.

3) Sic enim si cum Wettio atque, ut videtur, Lückio hujus sect. posterior pars explicatur, difficultas tollitur, ex eo orta, quod primo ob-
tutu verbis: ὁ δὲ πατήρ sqq. talis inesse videatur oppositio, ut vel τὰ ῥήματα et τὰ ἔργα synonyma habenda sint (Calv., alii), vel in τοῖς ἔργοις τὰ ῥήματα contineri censenda sint (Thol. Meij.). Quibus vero interpretationibus orationis contextus adversari videtur; cf. s. 11, coll. X: 37, 38, ubi fides, quae *verbis* Jesu tributa sit, ab ea; quae *factis* habeatur, di-

nuo forte post vini poculum, discipulis traditum, quam si post alia verba edita haec enuntiaverit Christus 1); sectionis laud. *sensus* vero idem manet. Neque ea, quae, ut supra vidimus, ex Synopticis hic illic Johanneis, de quibus dicimus, sermonibus inserenda sunt, locorum, quibus inseri debeant, sensum immutant. Sic e. c., si XIV:1 non cum XIII:38, sed cum Luc. XXII:38 conjungenda sit, contextus quidem eatenus mutatur, ut alia nunc statuenda sit causa proxima τοῦ παρασσεσθαι, a quo discipulos dehortatus est Christus. Attamen sive praedicto Petri lapsu, sive colloquio Luc. XXII:36-38 proxime aucta fuerit discipulorum perturbatio, ipsum monitum (Jo. XIV:1) eandem vim retinet 2). Ex quibus concludimus, omitti quaedam posse, quorum defectu, licet nonnunquam dictorum nonnullorum cum praecedentibus vinculum immutetur, locorum sensus tamen non infringatur. Unde apparet, sermonum eatenus abesse posse integritatem, quatenus ejus defectu dictorum relatorum sensus non convertatur.

Sed fortasse neget quis, sermonem, *qua talem*, authenticum dici posse, ubi ex eo omissae sunt cogitationes nonnullae. Quod, si vocabulum *sermo* de toto sermone, sicuti habitus fuit, accipias, concedimus.

serte distinguitur. (Cf. Tischend. de lectione, quam tamen sine causa mutasse videtur.)

1) Cf. Lücke ad h. l. Vid. et v. Oosterzee, *L. v. J.* III. 1. p. 204.

2) Idem valet, si forsitan et Paschatis hymnus finalis ante XIV:1 inserendus sit, ut statuit v. Oosterzee, *L. v. J.* III. 1. p. 187 sq. Cf. tamen quae infra a nobis afferentur: Sect. III. C. I. § 3, ubi de loco XIV:31 sermo erit.

Attamen hanc vocem per metonymiam usurpari quoque posse credo de dictorum complexu, quae cum aliis quibusdam omissis sermonem effecerint; dummodo omis- sa ea, nec tam multa, neque ejusmodi sint, ut vel nil nisi sermonis epitomen, vel confusam tantummo- do singulorum dictorum inter se non cohaerentium collectionem contineat sermonum, quae traditur, re- latio 1).

Quod autem ad ordinem attinet, quo singula, e qui- bus ultimi Christi sermones compositi sint, dicta nobis- cum communicata sunt, indicia adesse non video, quae statuere nos cogant, hunc esse immutatum 2). At- tamen id etiam, salva sermonum authentia, concedi posset, quatenus in cogitationum sensu immutando nul- lam vim habeat, neque universum orationis cursum in- fringat 3).

Quaeritur denique, quomodo judicandum sit, si varia enuntiata, variis edita opportunitatibus, conjuncta nobis offerantur. Quod ubi obtinet, singulorum dictorum in- teger manere potuit sensus, nisi ex ipsa, qua enuntiata sint, hic pendeat opportunitate 4). Hic vero non de

1) Quod hoc nostro l. non obtinere, infra videbimus (Sect. IV). Cacte- rum talem quoque epitomen, de qua modo diximus, ex dictis authenticis constare posse, apparet.

2) Cf. tamen quae de XV:1 sqq. dicit Tholuck. De quibus vid. infra § 2 in fine.

3) Cujus rei egregium exemplum invenitur: Mt. XXIV: 9, 13, 14, coll. Mr. XIII: 10, 13, si ad singulorum dictorum parall. in utroque cap. attendatur collocationem.

4) Cf. quae supra monuimus de discrimine inter *verba* s. contextus atque *sensus* immutationem.

sermone, nec de *sermonibus*, sed de *dictorum complexu* potius dicendum est ¹⁾).

Apparet igitur, salva *sermonum* authenticia, rejici posse tum absolutam verborum authenticiam, tum orationum integritatem, tum etiam dictorum ordinem historicum, quatenus hisce rejectis neque cogitationum sensus, neque orationis cursus infringatur.

§ 2.

Quale, inter ipsos hos sermones, eorumque nobis traditam relationem, salva illorum authenticia, discrimen obtinere nequeat.

Hucusque vidimus, vere authenticos dici posse sermones, licet ²⁾ tum nonnulla mutata sint, quae rerum sensum non definiant, tum alia quaedam omissa sint, quae in contexta oratione non eam vim habeant, ut iis omissis dictorum sensus infringatur atque momentum. Quaeritur vero, utrum, si majus quoque inter ipsos sermones eorumque relationem adsit discrimen, authenticum tamen dici possint.

Non est, quod h. l. de eorum dicamus sententia, qui omnem Evangelii authenticiam scriptorisque axiopistiam

1) Quod tamen ad ultimos Jesu sermones non spectare, infra item apparet. Quos hanc ob causam in Plur. num. *sermones* vocavimus, quoniam, etsi eadem opportunitate prolata sint omnia, quae huc referuntur, non tam arcte tamen haec inter se juncta sunt, ut *sermonis* nomen iis convenire videatur.

2) Ne de singulorum dictorum ordine amplius dicam, cujus in ultimis Jesu sermonibus mutationem occurrere neque apparet nec fere contenditur.

negant, ut ex recentioribus 1): Strauss 2), Lützelberger 3), Bruno Bauer 4), schola denique Tubingensis 5). Nec de Wilckio nobis sermo sit, qui 6) Straussii sententiam cum historiae Evangelicae veritate in concordiam redigere conatus, Evangelium Joh. Apolloni tribuit, qui ex relationibus, a Johanne Apostolo acceptis, haud sine erroribus nonnullis illud confecerit 7).

Sed alii etiam sunt, qui, licet varias de Evangelii Joh. origine sententias foveant, majorem tamen mino-

1) De antiquioribus Ev. Joh. authenticæ oppugnationibus usque ad Bretschneid. vidd. G. H. van Griethuysen, *Pro Ev. Joa. ἀδθεvρία* *disc. Critico-Theol.* Harderov. 1806. p. 12 sqq., Credner, *Einkl. in das N. T.* 1836. I. l. p. 261 sqq. et Guericke, *Einkl. in das N. T.* 1843. p. 302 sqq. De recentioribus omnino cf. v. Oosterzee, *Jaarbb.* V. 1. p. 127 sqq.

2) *Leb. J.* passim. Cf. de eo Ebrard, *Krit. d. Ev. Gesch.* § 114-116.

3) *Die kirchliche Tradition über Joh.* caet. 1840; de quo vid. Guericke *Einkl.* p. 312 sqq.

4) *Krit. der Evv. u. Gesch. ihres Ursprungs* 2^o Aufl. 1851. De quo viro atque opere in posterum nihil quidquam dicemus. Scil. miratus sum, me de ultimis J. sermonibus apud eum nihil fere invenisse. Nec sane doleo. Tam enim levitas, qua omnia tetigit, quam et in miram hic illic abiisse stultitiam, affirmare non dubito (cf. quae de XIII:1 habet III. p. 195), tum vero inprimis proterva, qua ubique loquitur, ratio, et qua nonnunquam ludibrio habet sacram historiam, indignum eum reddunt, qui audiatur. Legantur e. c. III. p. 316—326, inprimis, quae inveniuntur p. 321 incante et mediâ p. 324. Cf. de eo Ebrard I. l. § 118.

5) Vidd. Baur, *Krit. Untersuch. über die kanon. Evv.* p. 77—389, et Schwegler, *Der Montanismus u. die christl. Kirche* 1841, inprimis p. 183 sqq., ut et ejus *Nachapost. Zeitafter* 1846 passim.

6) Vid. ejus *Tradition u. Mythe* 1837.

7) Caeterum ejus sententiam de Jesu orationibus vid. p. 193 sq., ubi inter alia statuit, discipulos saepe male intellexisse Christum, licet Sp. S. in tradendis Ejus verbis "sic vor manchem Irrthum behütete."

remve sermonibus Jesu, in eo obviis, authenticam se tribuere professi sint ¹⁾. Et primum quidem h. l. in censum veniunt duumviri: Weisse ²⁾ et Schenkel ³⁾, qui contendunt, *orationes* Jesu modo dictas ab ipso quidem Johanne profectas esse, iis vero postea ab alio additas fuisse *historicas* Evangelii partes. Weissium nempe si audias, externa pro Evangelii authenticam argumenta aliquam saltem ejus partem ipsi Apostolo tribuere cogunt; *historicae* vero ejus partis ea est ratio, ut spuria haberi debeat; quam ob causam *sermones* ab ipso Johanne conscriptos esse statuit. Nec tamen affirmare dubitat, Apostolum multa de suo iis immiscuisse, quippe quos diu post abitum Christi, quatenus meminisset, annotaverit, ita ut in iis potius agnoscenda sit ratio, qua Christi personam ipse Johannes sibi informaverit, expositio, quam vera Illius sermonum relatio. In quibus cum Weissio fere consentit Schenkel.

Aliam autem rationem iniit Schweizer ⁴⁾, qui nonnulla tum e narrationibus, tum ex orationibus spuria habenda esse censet, caeteram vero eamque longe majorem Ev. partem Johanni, vel testi saltem oculato ex Jesu discipulis ⁵⁾ tribuit. Ad *hanc* autem partem ultimi Jesu sermones pertinent toti, praeter c. XVI:30 ⁶⁾. At-

1) De quibus item cf. v. Oosterzee, *Jaarbb.* l. l.

2) *Evangelische Geschichte* 1838. I. p. 96 sqq., II. p. 183 sqq.

3) *Stud. u. Krit.* 1840. III. p. 764 sqq.

4) *Das Ev. Jo.* caet. 1841. p. 7 sqq.

5) Nam utrum ipse Joh. scriptor habendus sit, aliquatenus dubitare videtur p. 237 sq.

6) De qua sect. agit p. 63, contendens, magis cum Synopticorum, quam cum Evangelii Joh. traditione eam convenire, quam fecerint disci-

tamen etsi concedat Schweizer, sermones, quibus suis valedixerit Christus, revera ab Eo enuntiatos esse, nonnullaque ex iis, quae facile memoria teneri possent, fortasse authentica esse, nihilominus has Jesu orationes libera ratione traditas esse censet¹⁾.

Sed omnem sermonum Jesu authenticac sic perire certitudinem, manifestum est. Primum enim, si vel tota Evangelii Joh. pars historica, vel ex utraque, tum historica, tum didactica ejus parte quaedam, eaque tantummodo propter *interna* argumenta critica²⁾, spuria habenda sint, — nec caeterorum quoque authentia satis firmis nititur fundamentis. Tum vero magnum quidem discrimen inter binas has adest sententias, quibus sermones *vel* certa opportunitate habiti, libera vero ratione traditi, *vel* ex vagis quibusdam doctrinae Jesu notitiis ficti, dicuntur. Sed quomodo tamen, si vel prius acci-

puli, conclusionem, statuente Christo omnia nota esse, quoniam interrogationes eorum praevenit; cf. s. 19. Quae quo fundamento nitatur sententia equidem non video, quam ex IV:16—18, uti et ex III:3 coll. II:25 contrariam efficerem. Longe alia quidem hac de re docet scriptor, ubi de l. IV:16—18 disserit p. 138 sqq., quae tamen de accipienda ejus sententia mihi non persuadent. Praeterea interrogatio XVI:31 mihi bene congruere mihi videtur cum s. 29, nisi inserenda sit s. 30, quae et ejusmodi indolis est, ut interpolator vix eam addere potuerit.

1) Johannes enim "(hat)" inquit "mit ergänzenden Kombinationen dem, was er noch (wusste), nachhelfen, (und) im Ausdruck des Inhaltes fast überall, wo derselbe nichts bildliches, oder sonst sehr behaltbares enthielt, frei und eigenthümlich verfahren (müssen)." Cf. p. 227 sq.; 249 sq.; 279 sq. Ab altera tamen parte rite tenendum est, Schweizerum in Bretschneideri atque Straussi sententiam invehi, secundum quam sermones, in Ev. Joh. obvii, ex vagis nonnullis Jesu doctrinae notitiis conflati essent.

2) Qua de re omnino cf. Harting, *Jaarb.* IX. 1. p. 173 sqq.

piatur, ipsius Jesu sententiae a scriptoris vel interpolatoris dignosci poterunt interpretationibus, aut figmentis, quae verborum Christi sensum atque momentum convertant? Sane si talis admittenda sit sententia, de vera orationum Jesu authentia sermo esse nequit.

Sed et alii audiendi sunt. Nempe adversus Weisium surrexit Frommann¹⁾, qui Evangelii tum authenticam accipit, tum et integritatem²⁾. Quem vero si de Jesu sermonibus, quos retulit Johannes, disserentem audiamus³⁾, docemur, Evangelistam talia, quae magnam cum suis ipsius cogitationibus, ex caeteris ejus scriptis cognitis, similitudinem habent, ex sua mente hausisse, adeoque liberas eum dedisse Jesu sermonum imitationes. Caetera autem ex memoria, quatenus haec retinuerat ea, annotaverit, licet saepius alia ratione relata, et cum aliis rerum adjunctis connexa sint⁴⁾. Nec si

1) *Stud. u. Krit.* 1840. IV. p. 853 sqq.

2) Partes nempe si excipias quasdam, recentiori tempore a pluribus etiam in dubium trahi solitas, de quibus sententiam suam enuntiavit in opere: *Der Johann. Lehrbegriff* p. 25.

3) *Joh. Lehrbegr.* p. 73 sq.

4) Köstlin, in opere: *Der Lehrbegr. des Ev. u. der Br. Joh. caet.* 1843, multa quidem de convenientia disputat, quae inter Evangelii Epistoliarumque scriptoris, Christique Johannei sententias obtinet, (cf. p. 3—31 nec non annotatio p. 39), minime vero, quid de sermonum Johanneorum origine statuatur, profitetur. Attamen totius libri ratio satis docere videtur, eum a viris doctis, de quibus ante diximus, haud dissentire. Quin et ipsius Evangelii authentiae oppugnatoribus eum annumerandum esse patet e disquisitione: *Die pseudonyme Lit. caet. Theol. Jahrb.* Tüb. 1851. II.

Ejusdem generis scriptum denique edidit Hilgenfeld (*Das Ev. u. die Br. Joh. nach ihrem Lehrbegr. dargestellt* 1849); qui item Evangelii Joh. rejicit authenticam. Cf. de ejus opere Niermeijer, *Mag. v. Krit. en Exeg.* 1851. II. 2. p. 162 sqq.

in Wettii inquirimus sententiam, majoris participes reddimur certitudinis. Secundum eum nempe ex ipsa sermonum indole sequitur, multa non Jesu, sed Johanni esse tribuenda, quod variis exemplis probare conatur¹⁾.

Unusquisque autem videt, haec omnia ad nullum, in quo acquiescere possimus, ducere iudicium. Licet enim a Weissio, Schenkelio et Schweizero in eo hi differant, ut universe Evangelii Joh. accipiant integritatem, ratio tamen, qua de Christi sermonibus loquuntur, docet, neque eorum si vera sit sententia, dicta Jesu jure authentica dici posse. Quin imo, mentem eorum si rite ceperim, illas, quas relatas legimus, orationes non certa quadam opportunitate habitas esse opinantur, sed ita potius rem sibi informant, ut Johannes sic locutem induxerit Christum, prouti hac illave opportunitate locutum Eum esse, ipse sibi informaverit Apostolus; ad quas componendas picturas varia adhibuerit Christi dicta, quae in ejus memoria remanserant, licet, utrum haec, an alia forte opportunitate ea enuntiasset Christus, haud amplius sciret; 2) caetera vero ex universo doctrinae Jesu argumento, prouti intellexerit illud, suppleverit.

Sed Lückium audiamus meliora docentem, qui 3) sententiam suam primum ita definiuit, ut nil nisi absolutam sermonum authenticam verbalem et integritatem

1) Cf. ejus *Einl. caet.* 4. Aufl. p. 179 sq. et *Comm. in Ev. Joh. (Exeg. Handb.)* 3. Aufl. p. 6 sq. „Manches in Jesu Reden ist unzweckmässig, hart, seiner Lehrweisheit unangemessen” caet.

2) Quae longe alia esse patet ratio construendi, quam si varios sermones, vere a Christo oriundos, eum in modum conjunxisset Joh., quem supra exeunte § 1 spectavimus.

3) Cf. ejus *Comm. in Joh.* 3^e Aufl. I. p. 240 sqq.

missam facere videatur. Neque ullum dubium est, quin sermones Christi, quorum summam retulit Johannes, certa opportunitate editos esse statuatur. Atvero mox, ubi in re accuratius definienda pergit, talibus verbis utitur, ut eorum, quae modo posuerat, magna pars rursus tolli videatur. Ex convenientia nempe inter ipsius Johannis verba atque ea, quae in Evangelio Joh. aliis tribuuntur, — nominatim ex cap. III, quo verba Christi ab ipsius Johannis interpretatione, mox (ut statuit) subsequente, vix discerni possint, — efficit, varia de suo orationibus Jesu immiscuisse Johannem¹⁾. Quodsi vero hac ratione de Christi judicetur sermonibus Johanneis, neque accuratius definiatur hoc iudicium, sic quoque ansa datur ad variorum dictorum, variarumve dicendi formularum authenticam aut rejiciendam, aut certe in

1) Sed ipsius Lückii potius verba afferamus. Secundum eum igitur "kann man sich des Gedankens nicht erwehren, dass Joh. wohl überall in den längeren und schwierigeren Reden seine Hand dazwischen habe, und, wie er an einigen Stellen abkürze, an andern erweitere." Quibus mox addit: "Wir tragen ... kein Bedenken, der subjectivität des Apostels auf die Darstellung der Reden einen bedeutenden Einfluss einzuräumen. Jesus redet in dem Joh. Ev., wie Ihn der Lieblingsjünger in seinen späteren Jahren verstand, wie er Ihn sich vorzustellen, Ihn gleichsam zu sich reden zu lassen gewohnt war." Ad quae verba L. annotavit, hac in re secum facere Bretschneiderum in disquisitione *über die myth. Auffass. des hist. Chr.*, obvia in diario: *Allgem. K. Z.* 1837. N^o. 104—106.

Caeterum cum Lückio eff. Credner, *Einl. caet.* 1836. I. 1. § 101, ubi hic, licet minus clare, similem professus esse videtur sententiam; et Bleek, *Beitr. caet.* p. 243 coll. 241 sq., qui item cum Lückio fere consentire videtur. De his autem Lückii verbis, quippe verae sermonum Jesu Johanneorum authenticae oppositis, omnino cf. Hofstede de Groot *Waarh. in L.* 1837. p. 84, coll. 83, 87.

dubium trahendam 1). Nulla enim adest *regula*, nullum *principium* 2), ex quo dijudicare possimus, quid Christo, quid Johanni tribuendum sit; sed, si penitus res perspiciatur, omnia ex aëre pendent, nec multo majorem adepti sumus certitudinem, quam si Wettii aliorumve sequamur sententiam 3).

Qua de re non prorsus immerita nobis esse videtur Bauri reprehensio, qua Lückium carpit, statuens, sic omne perire sententiae fundamentum, e qua *ullum* dictum habeatur authenticum 4). Jam Lücke quidem ad promissum XIV: 26 provocabit, quippe quod ad cogitationum *fundamentalium* q. d. 5) authenticam tuendam ei sufficiat 6). Haud plura enim tucri eum velle, tum ex iis, quae modo laudavimus, tum e seqq. ejus verbis patet, quibus sententiam profert, e qua non nisi cogitationum *fundamentalium* authenticam momentum habeat theologicum 7). Jam vero quaestio oritur, quaenam sint cogitationes

1) Quae dici solent: „Erläuterungen, Reflexionen, reflectirende Betrachtungen des Joh.“ caet.

2) Prouti constituere conati sumus supra § 1.

3) Quod nemo tamen ita intelligat, ac si Lückii sententiam *ex ipsius* mente illorum opinionibus similem esse statuamus. Hoc tantum volumus ad eandem *finem* eam ducere, ita ut, si vera sit, Jesu, de quibus dicimus, sermones authentici vocari nequeant.

4) „Ist einmal soviel Subjectives in diesen Reden, wer bürgt uns dafür, das nicht am Ende Alles subjectiv ist? Die Möglichkeit wenigstens kann man sich nicht verbergen; denn welches Kriterium hätten wir, das Objective vom Subjectiven zu unterscheiden?“ Cf. *Kann. Evv.* p. 294.

5) *Grundgedanken.*

6) Cf. l. l. p. 238 coll. iis, quae modo laudavimus.

7) „Das wahre theologische Interesse fordert von den evangelischen Relationen, wie von guten Portraits, nur jene geistige Treue, welche, in allem Wesentlichen, d. h. in Allem, was zur Darstellung der Grundge-

fundamentales¹⁾. Quod quam difficile sit decernere, ipse sentit Lücke, ubi *theologiae pensum difficillimum*²⁾ huncce vocavit laborem. Scilicet de sermonum Jesu authenticae momento³⁾ nunc non quaerimus. Sed utrum cum Lückii sententia congruat ipsa illa *authenticia*, decernendum est. Ad quod negando respondendum esse mihi videtur. Sic enim non omnes cogitationes, in iis obviae, sed praecipuae tantum a Christo profectae essent. Oratio vero ex cogitationum constat complexu. Prout igitur nihil refert, quibus *formulis* hae enuntientur, ita e contrario omnino interest, utrum *ipsae cogitationes* authenticae sint *omnes*, quippe quae conjunctae orationem efficiant, omnesque eodem jure ad eam pertineant. Quare discrimen inter cogitationes *fundamentales* et *non fundamentales*, — si non tantum formulas *ἀδικοφύρους*, sed et ipsas cogitationes spectet, — in orationum authenticia definienda non ita adhiberi posse credo, ut, ea integra, posteriores ex referentis mente hausta atque ab eo addita haberi possint.

Tandem vero, ne in aliorum sententiis, cum antecedentium una alterave fere convenientibus, diutius haereamus, paucis de Tholuckio agendum est, qui⁴⁾ praeter eas, quae ex periodorum in lingua peregrina structura sponte profluunt, mutationes, efficacitati, quam

danken, der wahren geistigen Gestalt Christi gehört, genau und zuverlässig ist." Cf. l. l. p. 243 fin. sq.

1) Quid est "das Wesentliche"? quatenam "die wahre geistige Gestalt Christi"?

2) "Die Schwierigste aller Aufgaben für die Theologie." Cf. l. l. p. 244.

3) Qua de re vid. infra S. II. § 2 in fine.

4) Cf. *Glaubw. d. Ev. G.* p. 340 sqq.

in Jesu sermonum relatione Johannes habuerit, nihil aliud tribuit, nisi *primum*: miram simplicitatem, toti huic Evangelio* propriam¹⁾, quam ex parvo, quo in construendis *periodis* scriptor utitur, *conjunctionum* numero repetit; quae peculiaris periodorum structura ex suavi Johannis indole explicanda sit,²⁾. *Dein* non Jesu, sed Johanni tribuenda sit certa quaedam cogitationum repetitio et ratio fluctuans³⁾, quae hîc inveniuntur, itemque ex Johannis caractere repetenda sint.

Itaque non de rebus, quas tanquam interpretationes addidisset Joh., sed tantummodo de formulis minoris momenti, nec non de ratione, qua conjungantur atque exponantur cogitationes, ex Tholuckii sententia, hîc dubium esse videtur. Attamen mox apparebit, neque cum *ejus* opinione veram sermonum authenticam prorsus in concordiam redigi posse. Prius autem, quod ex Tholuckio attulimus, atque ad periodorum pertinet structuram, facile concedo. Posterius iterum in duas partes dividitur, quarum prior *cogitationum repetitionem*, posterior earum *rationem fluctuantem* spectat. Per priorem Johanni propria quaedam agendi ratio intelligitur, qua inter varias, quas ediderit Christus, cogitationes non satis distinxerit. Ad quod enucleandum atque probandum provocatur ad parabolas (s. imagines): X:1 sqq. et XV:1 sqq., quippe quarum inter se commisceantur expositio et applicatio, dum Synoptici posteriorem post relatam parabolam separatim ei addere solent. Acuta

1) „(den) Ton Kindlicher Einfachheit, der dieses Ev. auszeichnet.“

2) De qua cf. l. l. p. 326.

3) „Eine gewisse Kreisbewegung und Zerflossenheit der Gedanken.“

sane nec spernenda observatio¹⁾ Cui tamen eam, quam voluit Tholuck, probandi vim tribuere non ausim. Quidni enim Christus, licet secundum Synopticos aliter agere solitus, interdum imaginis applicationem cum expositione ejus arctius conjungere potuisset? Attamen fieri potest, ut admittenda sit Tholuckii sententia, quae contra veram sermonum authenticam certare mihi non videtur, quum tantummodo dictorum quorundam ordo, haud converso orationis cursu, aliquatenus a Johanne immutatus esset²⁾. Sed deinceps obscura affertur ratio, qua de reditu suo loquens inducitur Christus c. XIV:17 sqq., XVI:16 sqq., quaeque ex eo orta esset, quod non satis distinxisset Johannes inter ea, quae singulatim de utroque reditu tum corporeo, tum spirituali dixisset Jesus. Vereor tamen, ne ita statuentes novis rursus implicemur difficultatibus, e quibus vera sermonum authenticam damnum capiat. Sic enim confuse scripsisset Johannes, atque confusione illa alius vel dubius saltem hic illic sensus exstitisset. Caeterum ipse concedit Tholuck, tali conjectura h. l. non opus esse, quum saepius in Synopticis quoque, tecta et ambigua ratione, hac illave de re loquatur Christus (cf. e. c. Mt. XXIV al.). Itaque non est, quod totam illam cogitationum conjunctionem, de qua loquitur Tholuck, verae sermonum authenticam oppositam habeamus; modo nihil ex ea derivetur, quod plura missa facere cogat, quam ea, quibus dictorum sensus non immutetur.

1) Quae tamen in posteriorem melius quam in priorem locum (cf. X: 1—5), licet in hoc quoque aliquatenus (cf. s. 12, 13 al.), convenire mihi videtur.

2) Cf. supra § 1 in fine.

Eadem denique ratione dijudicanda est fluctuans cogitationum ratio, quam urget Tholuck; quae autem, ex ejus sententia¹⁾, hac in re cernitur, quod Christus, omnibus, de quibus dicitur, opportunitatibus, de eodem definito argumentorum numero disserens, easdemque saepius dicendi formulas adhibens, informetur. Prius vero ad *ultimos* Jesu sermones minus spectat, quippe quibus magnam partem alia tractentur, quam ea, quae in caeteris orationibus Johanneis exhibentur. Praeterea, licet hac quoque in re vim habuisse potuerit indoles Johannis, imprimis ex ejus scribendi consilio illud explicandum esse censeo. Posterius autem, frequens nempe earundem formularum usus, quatenus huc pertinet, optime ab ipso Christo derivari potest. Quid mirum e. c., si saepius de τῶ ἐν εἰσὶν discipulorum suorum, vel de τῶ δόξῃ sua eadem ratione Hic locutus sit (cf. c. XVII)? Attamen hoc item loco regula valet, ex qua, ubi dis crimine, quod inter formulas, tum a Christo, tum a Johanne adhibitas, obtinet, non mutatae sunt Illius cogitationes, formularum aliarum usus, salva sermonum authenticia, admitti possit.

Sed graviores Tholuckium spectasse commutationes, ex iis elucere videtur, quae verbis laud. addidit²⁾. Quibus nempe Johannem cum Thucydide comparat, qui ita se retulisse profitetur aliorum verba, prouti secundum conditionem, in qua unusquisque eorum versatus fuerat, locuti esse ei *videbantur*, dum, *quantum potuit*, au-

1) Quam vid. l. l. p. 342 ineunte.

2) Cf. l. l. p. 346 sq.

thentica eorum verba se servasse dicit. Nonne vero multa sic rursus incerta redduntur? Ita haud multam sane abest, quin in eam iterum incidamus sententiam, ex qua liberas sermonum Christi imitationes nobis dedisse Johannes dicitur ¹⁾).

Caeterum, ne plura hac de re definiantur, quaestionis ratio recusare videtur. Tantummodo principia constituere conati sumus, quorum applicationis modum exemplis nonnullis illustravimus. Plures autem, quam ante (§ 1) expositas, salva vera horum sermonum authentia, concedi non posse inter eos ipsos eorumque relationem Johanneam discriminis notas, variarum, quas recensuimus, sententiarum nos docuit contemplatio. Perseverandum igitur est in conclusione, quam illic fecimus. Vidimus enim, caeteroquin de iis, quae professus sit ipse Christus, nobis constare non posse. Omnia in aëre penderent. Liberae autem sermonum Ejus imitationes nobis non sufficiunt, ut authenticos illos habere possimus. Nisi magis definita ratione distingui possit, quatenam Christo, quatenam Johanni sint tribuenda, *authenticas* nos possidere Illius orationes, gloriari nos non oportet. Tantummodo libera maneat interpretatio. Haec decernat, utrum in loci cujusdam sensu constituendo *eam* vim habeat dictio quaedam, ut ab hac ille pendeat. Quam vero efficacitatem si formula quaedam revera habere appareat,

1) Quod ipsum tamen non spectasse Tholuckium manifestum est. De Ebrardi sententia, quaecum hac in re magnam partem consentire mihi videor, h. l. non est, quod dicam; cf. II. ejus supra laud. *Krit. d. Ev.* G. p. 76 sq., 884.

vel authentica haec esse debet, vel nulla amplius verae sermonum Jesu authenticæ superest certitudo. Sic deum firmis nitimur principiis et fructus ferre poterit disquisitio nostra, de ultimorum Christi sermonum authentia jam instituenda.

SECTIO II.

DIFFICULTAS PSYCHOLOGICA, EX ULTIMORUM JESU SERMONUM LONGITUDINE INPRIMIS DUCTA, QUOMODO SOLVENDA?

Vera horum sermonum authenticitas quid sit, jam nobis constat. Priusquam autem adversus dubia exegetico-historica eam tueri suscipiamus, ad aliam etiam quaestionem respondendum est. Multi nempe contendunt, ejusmodi de authenticitate ne disputandum quidem esse, eam vero statim sine ulteriore disquisitione esse rejiciendam, quandoquidem tam longos memoria retinere sermones, nemini unquam contingat. Quae difficultas ut tolleretur, olim unice fere ad extraordinarium Spiritus S. provocabatur auxilium, Apostolis atque Evangelistis concessum, quod ex theismi principiis obtinere potuisse statuebatur¹⁾. Recentiori vero tempore alia

1) Cf. e. c. Lampe *in Joh.* I. p. 227 sqq.

quoque in auxilium vocata sunt, quae rem illustrarent. Quam ob causam de his quoque iudicium nobis ferendum est.

§ 1.

Utrum sine extraordinario Dei auxilio Johanni concesso difficultas, de qua agimus, solvi possit.

Ponas, viri cujusdam tibi offerri orationem, quae ejusdem atque ultimi Jesu sermones longitudinis sit rationisque; eam vero diu, postquam enuntiata fuerit, scriptis demum mandari potuisse. Jam, supra definito sensu authenticam eam esse, sane non expectabis; sed rerum, quas tractaverit orator, si *summam* tantummodo contineat scriptura tibi oblata, — etsi variae caeterum ei insint cogitationes idearumque illustrationes, scriptori magis quam oratori tribuendae, sed hujus tamen doctrinae non adversantes, — sermonis relationem jam laudas. Certior vero si fieri velis, tum de toto orationis cursu, s. de ordine, quem secutus fuerit orator, — (in partes enim et sectiunculas orationem hic non diviserit) — tum de ratione, qua hoc illudve magni momenti dictum enuntiaverit, — (*ejusmodi* nempe dicta sermoni insint, quorum in sensu constituendo vel hujus, vel alius formulae usus magnam vim habeat) — doles, non adfuisse scribam, qui, artis suae peritus, ex ore loquentis ea omnia accurate annotaverit, quae singulorum dictorum sensum definiant.

Ne tamen ejusmodi me velle quis putet sermonum Jesu authenticam, qualis earum orationum esse solet,

quae in comitiis e. c. habitae, totae ad verbum usque a scribis notari solent. Hi enim ex officio absolutam eam, quam supra rejecimus, authenticam curant et integritatem, quae ἀδιόφορα quoque complectitur ¹⁾. De scribis vero hanc tantum ob causam locutus sum, ut ostenderem, vulgari in vita, sine eorum auxilio neque eum obtinere posse authenticam gradum, quem ultimis Jesu sermonibus vindicare conamur ²⁾.

Quae si vera sint, affirmare non dubito, ex suis principiis jure statuere Schweizerum, eum, qui tales reddere velit sermones longiores, ex animo commoto effluxos, sine dubio varia de suo addere debere ³⁾. Praeterea quis unquam orationibus, in scriptorum classicorum operibus obviis, talem, quam supra descripsimus, authenticam tribuit, nisi ostendere possit, eas quoque, dum enuntiabantur, per scribas esse notatas?

His vero alia quoque accedunt. Ultimi nempe Jesu sermones magnam partem talia continent rerum argumenta, de quibus Christum vel nunquam, vel raro tantum hac ratione loquentem audierant discipuli. Quibus

1) Quibus quid h. l. intelligendum sit e Sect. I, ni fallor, manifestum est.

2) Si igitur Tholuck (l. l. p. 347), — Thucydidis verba afferens de orationibus eorum, qui in belli Peloponnesiaci historia occurrunt, — rogat, quis testimonio non contentus sit viri, qui affirmet, se, quantum potuit, sermones accurate retulisse, id hoc loco normam poni posse non credo. Multo magis enim mea interest scire, quaenam Christus, quam quae Graeci illi locuti sint. In his contentus sum, si mihi rite referatur rei summa sine authentica relatione; quam vero in illis omnino acquirere studeo.

3) „Dass wer solche, längere, unmittelbar dem bewegten Gemüth entquillenden Reden nachher wiedergeben will, jedenfalls mit ergänzenden Kombinationen dem, was er noch weiss, nachhelfen musste, wird sich von selbst verstehen.“ Cf. l. l. p. 227 in fine, sq.

locos de Ejus reditu et de promisso Spiritû S., precum cap. XVII argumentum, aliaque annumerare non dubito¹⁾. Jam etsi *breve* quidem rarac indolis dictum, semel auditum, *facile* memoria retineatur, *longiores* tamen sententiae, ut credo, quo rarioris sint indolis, eo *difficilius* teneri solent.

Sed ad humilem quoque attendendum est intelligentiae gradum, ad quem pervenerant discipuli; cujus testes sunt eorum interrogationes, hisce ipsis in capp. (XIV et XVI) obviae. Quibuscum si conferantur, quae in Synopticorum scriptis, (quorum jam sumatur axiopistia), reperiuntur, magis etiam hoc apparet. Ex his nempe docemur, discipulos nonnunquam ne factis quidem Christi eam dedisse attentionem, quam expectaremus. Quin imo hic illic iidem mirum in modum hebetes describuntur ad Christi consilia intelligenda²⁾. Quomodo igitur tales viri longiores hos difficilioreisque memoria tenere potuissent Christi sermones, quibus multa inerrant, quorum sensum haud omni nomine perceperint? Cui opponi quidem potest, Johannem prae caeteris melius fortasse Christi sententias perspexisse, quum majorem cum Christo habuerit conjunctionem, primusque Ejus resurrectioni fidem habuerit (XX:8). Attamen, multa ei quoque obscuriora his sermonibus inesse debuisse, nemo negabit, nisi Johannem prae caeteris discipulis nimium extollere videatur. E Synopticis certe talis sententiae nullum peti potest praesidium³⁾.

1) Cf. infra Sect. III. Cap. II. § 3.

2) Cf. inter alia Mt. XVI: 5—12 coll. verbis Christi Mr. VIII: 17, 18.

3) Cf. Luc. IX: 54; Mt. XX: 20 sqq.

Deinde minime negligenda est conditio, in qua Johannes versatus fuisse traditur, dum laudati Christi sermones enuntiabantur. Objiciat nempe quis, interdum inveniri homines, qui, licet *ingenio* prae aliis non excellentes, tanta praediti sunt *memoriae* vi, ut longam quoque orationem, sermonem e. c. sacrum, ita referre possint, ut vere authentica dici mereatur illius relatio. Neque ejusmodi quid fieri posse nego, etsi raro sane obtineat. Atvero longe alia Johannis fuit conditio, quam eorum esse solet, qui sermonem audiant solennem.

Tria enim inprimis inter utrumque casum obtinere mihi videntur discriminis momenta. Primum nempe sermo solennis, quem memoriae quis mandaverit, in partes iterumque saepius in particulas divisus esse solet. Christi vero orationes ultimae varia argumenta promissive iterum iterumque tangunt¹⁾; unde jam patet, difficilius memoriae mandari eas potuisse²⁾. Deinde ora-

1) Ultimaram Jesu orationum divisionem in partes atque sectionulas dedit v. Oosterzee, *L. v. J.* III. 1. p. 196 sqq. Quicquid vero de tali divisione statuendum sit, Christus certe eam non indicavit, nec discipulis igitur memoriae auxilio esse potuit.

2) Qua de re omnino vid. Weisse, *Ev. Gesch.* I. p. 109, qui de universis sermonibus Johanneis disserens, haec monet: „es gehen die Handhaben verloren, an denen begreiflicher Weise die Reden von dem, der sie sich ins Gedächtniss zurückrufen wollte, gefasst werden konnten. Selbst für eine ausdrücklich daran gewandte Arbeit des Memorirens gehören die johanneischen Reden zu den schwierigsten Aufgaben, wegen der geringen Anzahl von Haltpunkten, die sie dem Gedächtniss darbieten, wegen des abstrusen, unbildlichen Ausdrucks, und des Mangels an logischer Ordnung der unablässig sich wiederholenden und in sich zurückkehrenden Gedanken.“ Credo, quoad summam, recte scripsisse Weisium, atque ex suis principis jure addidisse: „Wie undenkbar ist es,

tionem qui audit retinetque solennem, quietus in Aede vel sacra, vel civili considet, omnemque sermoni in mentem recipiendo dicare potest attentionem. Qualis vero *Johannis* fuit conditio! Ipse eam descripsit (XIII: 30 in fine): $\tilde{\nu}$ δὲ νόξ! De praeceptoris sorte futura atque consilio quot eum vexarunt quaestiones! Quam vehementer omnia illa eum affecerunt insolita, quae praecesserant! In quibus fuerunt proditoris indicatio, S. Coenae institutio, Petri agendi rationis praedictio, totus Christi habitus, sermonum Ejus argumentum. Sane haec omnia efficere debuerunt, ut, quamquam summa attentione omnia Christi verba animadverterit Johannes, vix ita referre potuerit Ejus sermones, ut merito authentici dici possint. (De extraordinario enim Dei auxilio nunc non loquimur). Nonnulla certe enuntiata, vel ob frequentem eorum usum ei nota, vel praeter caeteris ei insolita, facilius, quin imo ad verbum usque, memoriae mandare potuit. Quomodo vero omnes illas, quas ex Jesu sermonibus notaverit, cogitationes, tali in conditione versatus, tam accurate mente retinere potuit, ut veri nominis authentia jure iis tribui posset? Cui tertia denique accedit discriminis nota. Qui enim sermonem audivit solennem, domum festinat, atque mox vel cum aliis eum communicat, vel in cubiculo suo, summa gaudens quiete, scriptis eum man-

dass sie sich auf einmaliges Hören dem Gedächtniss des Jüngers eingepägt haben sollten?" Nec logicae dispositionis defectum, a W. memoratum, vel Christo vel Johanni in opprobrium afferri posse censeo. Christi nempe sermones cum nostris orationibus publicis comparari non posse, vix opus est ut dicam.

dare potest. Sed jam quantum discrimen! Post ultimos Jesu sermones auditos, Johanni quid contigit! Mox se exceperunt tristis in horto Gethsemanitico somnus, tristior fuga, reditus Hierosolymam, iudicii, in Aede Cajaphae ferendi, anxia expectatio; dieque irrum-pente, — obscurior nox!

E dictis jam patet, Johannem, quos audiverat, sermones, continuo scriptis mandare haud potuisse. Sponte igitur eo ducimur, ut de sententia agamus eorum, qui in annotatione, diu ante editum Evangelium a Johanne conscripta, sermonum Jesu authenticæ praesidium quaerunt. Nempe post alios inprimis Bertholdt¹⁾ sententiam protulit, ex qua Johannes, vivente Christo, Aramaico sermone nonnullas annotasset Jesu orationes, quas postea, Graece traditas, in Evangelium receperit. Cui opinioni assentiti sunt Wegscheider²⁾, aliique³⁾; dum Paulus⁴⁾ ultimos Christi sermones, fortasse jam die Sabbati post Ejus mortem, a Johanne scriptis mandatos fuisse statuit. Item Tholuck⁵⁾ pronus est in sententiam, ex qua, post Christi ascensionem saltem, mox annotatae sint Ejus orationes Johanneae; et Weisse minus definite statuit, Johannem „mature jam“⁶⁾ in consignandis Christi dictis occupatum fuisse.

1) *Hist. crit. Einl. in sämmtl. . . Schriften d. A. u. N. T.* III. p. 1302 sqq.; postquam in peculiari opere hac de re egerat: *Verosimilitudo de orig. Ev. Jo.*

2) *Einl. in d. Ev. Jo.* p. 269 sqq.

3) Cf. Credner, l. l. I. p. 254.

4) *Leben Jesu.* I. b. p. 165 sq., referente Straussio *L. J.* II. p. 450.

5) Cf. l. l. p. 344 coll. 236.

6) „Schon frühzeitig.“ Cf. l. l. II. p. 190.

Multis autem ostendere non opus erit, haud ante Jesu latus per militem perfossum (XIX : 31-37) de consignandis Ejus dictis cogitare potuisse Johannem ¹⁾. Nec vero probabile mihi videtur, eum Sabbati, qui sequebatur, die hoc fecisse ²⁾. Nonne die illa moestissima inter se invicem *collocutos* esse discipulos, statuendum potius est? Nonne Johannes Mariam, matrem Jesu, — nunc vero suam matrem (XIX : 26, 27), — consolatus potius erit, nisi de resurrectionis Christi, quam foverint, expectatione inter se disputaverint? Tum demum probabilis videri possit sermonum Jesu ultimorum annotatio id temporis confecta, si orationes Christi annotare *consuevisset* Johannes, adeo ut mos ei fuisset talis agendi ratio. Ad quod probandum nonnulli ad Rabbiorum illius temporis discipulos provocarunt, qui, praeceptorum pedibus assidentes, praestantiora eorum dicta notare solebant ³⁾. Sed unusquisque videt, longe aliter cum Christo versatos esse piscatores et publicanos, quos discipulos Ille sibi elegerat, Galilaeos ⁴⁾. Atvero post resurrectionem forsitan Christi, aut brevi post ascensionem Ejus in coelum sermones notavit Johannes? Hac

1) Qua in re consentientem habeo Bretschneiderum, *Prob.* p. 16.

2) Ad quam reprobendam sententiam *ea* tamen urgere nolumus, quae animadvertit Strauss (l. l. II. p. 450), hanc nempe ob causam Christi verba illo tempore literis mandare non potuisse Johannem, quoniam ea, quae summo laetitiae sensu de triumpho veritatis dixerit Christus (eff. imprimis XVI : 8—11, 33, XVII passim), si ab homine dolore presso traditae essent, laetitiae colorem iis proprium certo amisissent.

3) Cf. Lücke in Joh. I. p. 234.

4) Res eadem manet, etiamsi Baptistae discipulus fuerit Johannes Apostolus. (Qua de re vid. infra Sect. III. Cap. II. § 4). Neque enim Johannes Bapt. cum praefectore Rabbinico comparari potest.

in re Tholuckio assentiendum esse credo neganti, absolute rejici posse ejusmodi sententiam. Fieri enim potuit, ut, suum amicorumve in commodum, ex Jesu orationibus quaedam Aramaico sermone notaverit Johannes, quae postea Graece translata Evangelio inseruerit.

At omni tamen sermonum ante editum Evangelium annotationi grave quid obesse credo ¹⁾. Etenim in Ev. Joh. tam arcte plerumque inter se conjuncti sunt historia atque sermones, ut primum hos separatim annotasse Johannem, vix statui possit. Ad quod illustrandum aliquatenus inservire possunt, quae dixit Bleek ²⁾, ubi, hac de re agens, provocat ad XIV: 31. Quem locum Bertholdt ad contrarium probandum attulerat ³⁾, contendens, Johannem, nisi antea annotasset Jesu sermonem, qui cap. XIV continetur, tam diu post nulla ratione meminisse posse Christi verba: ἐγείρεσθε, ἀγώμεν ἐν τῷ θέν. Bleek contra sic fere argumentatur: si ante Ev. conscriptum solos sermones scriptis mandasset Johannes, verba modo laud. certo non addidisset, quippe quae cum sermonum argumento non directe conjuncta sint. Utraque vero sententia interpretatione minus probanda niti videtur, ex qua ante ἐγείρεσθε punctum ponendum sit. Si autem observamus, haec verba omnino directe cohaerere cum ss. 30 et 31^a, tum Bertholdtii, tum Bleekii opinio omni probandi vi destituta esse apparet. Sed aliud hujus generis est documentum, quod adversus sermonum Johanneorum annotationem, ante editum Ev. confectam,

1) Cf. Lücke, l. l. I. p. 229, 234 sqq.

2) Cf. Beiträge p. 241 sq.

3) Cf. Einl. III. p. 1305.

testari videatur. Internam nempe sermonum Jesu a Johanne relatorum si inspicias rationem, elucet, historiam sensim transire in dialogum, dialogum vero in institutionem, dialogis iterum permixtam, cujus rei ipsa capp. XIII-XVI exemplum praebent ¹⁾.

Sed quicquid hac de re judicetur, nostra parum refert. Hujus enim loci difficillima quaestio non est, quomodo Evangelii conscribendi tempore ea, quae tam diu ante dicta fuerant, memoria etiamnunc conservata habere potuerit Johannes; sed multo magis, vel primo saltem loco quaeritur, quomodo non adeo cum longo temporis intervallo, sed Johannis cum conditione in concordiam redigi possit, eum tantam dictorum copiam, vel continuo post editos a Christo sermones, ita tradere potuisse, ut jure authentica dici possit sermonum relatio, ab eo conscripta. Quod si teneatur, manifestum est, nihil auxilii afferre scriptam illam annotationem ante vel post resur-

¹⁾ Quae vero Bleek monet (l. l. p. 340) h. l. in censum venire non posse mihi videntur. Contendit nempe, orationum, quas notavit Joh., stilum tam parum cum linguae Aramaicae indole convenire, ut *tradi* ex ea vix potuerint; quod tamen obtinere debuisset, si antea jam Aramaice literis mandatae fuissent. Ex quo, si verum sit, simul sequeretur, minus accurate relata esse Jesu verba, si ex memoria, quam si e scripta annotatione in Ev. recepta essent. Sed fateor, me non videre, qua in re Graecus ille sermonum color consistat, qui *tantus* esset, ut impediret, quominus ex Aramaica annotatione traditi essent. Sponte quidem ex Aramaicae Graecaeque linguae comparatione intelligitur, *ad litteram* omnia verti nullo modo potuisse. Sed hoc igitur neque tunc fieri potuisset, si e scripta annotatione sermones Christi in Ev. suum recepisset Joh. Ut mihi videtur, Graecus eorum color, quatenus adest, non ex eo repetendus est, quod non accurate e scripta annotatione, sed liberius tantum ex memoria eos retulerit; verum unice ipsi, quae inter utramque linguam, Graecam et Aramaicam, obtinet, discrepantiae tribuendus est.

rectionem Christi confectam. Si enim explicari nequeat, quomodo ad diem sequentem dicta Jesu *mente tenuerit* Johannes; neque hoc sane elucet, quomodo die illo ea *annotare* potuerit.

Idem, quod ad *ultimos* Jesu sermones attinet, de Lückii observatione valet 1). Hic nempe ad munus Johannis apostolicum provocat, quippe quod secum ferret, ut in Evangelii denuntiatione Christi *orationes* quoque continuo repeteret; quas igitur hac repetitione facilius memoria retinere potuerit. Lubenter quidem damus, continuam repetitionem illam multum profuisse Johanni; sed ante omnia opus fuit, ut ab ultimo vitae Christi die, usque ad tempus, quo Evangelium denuntiare incepit, Ejus verba mente servaverit. Quod quomodo fieri potuerit, per repetitionem, quae postea demum obtinuit, non explicatur.

Sed temporum ratio habenda est, nec nostrum aevum Apostolorum aetati equiparandum. Jam vero contenditur, eorum tempore minus frequentiore, fuisse usum scripturae, quam qui apud nos obtinere solet. Traditionis contra oralis momentum id temporis eo majus fuit. Unde oritur quaestio, utrum forsitan tunc ea ferre potuerit hominum memoria, quae hodie ferre non potest 2). Concedimus, praeceptorum aliorumve dicta illo tempore frequentius, quam hodie fieri solet, memoriae mandata esse 3). Sed ex frequentiore memoriae exercitatione,

1) Cf. l. l. I. p. 238.

2) Cf. e. c. Ebrard, *Krit. d. Ev. G.* p. 884, ubi sermo est "(von dem) durch Polygraphie noch nicht verdorbenen Gedächtnisse (des Joh.)"; et Lücke, l. l. I. p. 237.

3) Cujus rei exempla attulit Tholuck, l. l. p. 154 et 345. Quibus

quam pepererit rarior scripturae usus, ea nondum sequitur, qua hoc loco opus esset, memoriae humanae vis. Exempla igitur adesse debent, quae probent, hac illo tempore revera gavisos fuisse homines.

Quae autem hujus rei exempla attulit Gieseler¹⁾ parum probare mihi videntur. Primum nempe, quod affert, errore niti videtur. Nam provocat ad ea, quae de Antonio Anachoreta „praedicari” dixit Augustinus. Ille autem „sine ulla literarum scientia” scripturam s. audiendo memoriae mandasset. Sed haec narratio facile ex male intellecto vocabulo Graeco *ὑδαμματα* oriri potuit, quippe quod per „cultum Graecum” vertendum esse videatur²⁾. Praeterea attendatur ad illud „praedicari,” quod satis, ni fallor, ostendit, admodum dubiam esse auctoritatem, qua hujus narrationis nititur axiopiastia.

Sed et servuli cujusdam Gieseler attulit exemplum, qui, teste Gregorio M., item literas (proprio sensu) non noverat, sed „religiosos quosdam coram se legere faciebat s. scripturam,” quam et ille non nisi audiendo memoriae mandaverit. Quod tamen quantopere a nostra re differat, quis est, qui non videat? Hic enim servulus praelectorem rogare poterat, ut iterum iterumque legeret, quae prima vice memoria non tenuerat; deinde

Opponi quidem potest juvenum, a Rabbini institutorum, consuetudo, ex qua literis consignabantur praeceptorum dicta (vid. supra). Sed nostro tamen loco parvam vim hocce haberet, quum in schola Rabbinica non eruditus fuerit Johannes.

1) In peculiari scripto: *Ueber die Entstehung der Evv.* p. 104—111.

2) Quod, licet caetera probet Gieseleri exempla, concedit Thiersch, *Versuch* caet. I. p. 147.

domi quiete gaudebat, et tempore, quod post peractum laborem ei supererat, pro voluntate uti poterat¹⁾. Johannis vero longe aliam fuisse conditionem, vidimus. Semel tantum tristi illa nocte sermones, de quibus agimus, audivit; et quae secuta sint iterum memorare haud opus est²⁾.

Eadem autem ratione de caeteris, quae affert, exemplis judicandum est. In quibus idem quoque invenitur, quod attulit Tholuck³⁾, Irenaeum spectans, quippe qui in senectute meminisse se dicat eorum, quae juvenis a Polycarpo audiverat. Vereor tamen, ne potius ad doctrinae Apostolorum summam, nec non ad universam, quae vel hi cum Christianis, vel Polycarpus cum Irenaeo loqui solebant, rationem, minus vero ad singulas Apostolorum vel Polycarpi orationes, data opportunitate habitas, illa referenda sint. Sed si vel maxime singula dicta spectentur, iterum animadvertendum est, rerum adjuncta cum nostra, de qua agimus, causa non convenire. Irenaeus enim quietus audiebat atque mox, quantum vellet, retinendis iis, quae audiverat, operam dare potuit. Haud ita vero Johannes. Sed praeterea nimis vagae relationes sunt, quas his de rebus accepimus,

1) Quae et de prius allato Antonii valeret exemplo, modo narratio vera esset.

2) Nec quod ad illos Jesu sermones, quos in vita publica coram populo enuntiavit, multum ex hoc exemplo derivari potest. Nonne hos item semel edidit Christus? Quod autem saepius de eodem Hic locutus sit argumento, faciliorem quidem reddidisset laborem, si continuum doctrinae Ejus systema prodere voluisset Johannes; quem vero, singulos ubi tradere voluit Christi sermones, de singulorum dictorum opportunitate incertum contra reddere potuit orationum illa aequalitas.

3) l. modo laud.

quam ut definitam certamque iis superstruere possimus argumentationem. Quare neque haec quaestionem solvere credo 1).

Sed Thiersch, Gieselero assentiens, unum, quod prae caeteris habet omnibus, memoriae humanae id temporis efficacissimae attulit documentum 2). Spectat autem verum V. T. linguae pronuntiandae modum, diu postquam in vita communi usurpari illa desierat, imo per saeculorum nonnullorum spatium usque ad Masoretharum puncta adscripta, non nisi traditione orali conservatum. Atvero haecce prorsus alius generis res est. Semper enim adfuerunt, qui veram linguae Hebraicae pronuntiandae rationem in juventute ex seniorum ore audiebant, eamque consulto studio iterato addiscebant. Ad quod perficiendum non *memoriae* adeo vis extraordinaria requiritur, sed potius attentus animus variaque alia postulantur.

Deinde vero Pareau 3) discrimen attulit, quod inter Orientalium atque nostratum obtineat memoriam. Ad Mohammedis nempe provocavit orationes, quae item ex memoria accurate literis sint mandatae; quod pateat ex Weilli disquisitionibus, hac de re institutis. Ipse vero Weil animadvertit, nunquam ostendi posse vinculum historicum, quod inter duas sibi subsequentes Corani sectt. intercedat, neque opportunitatum, quibus singula "patefacta" sint proverbia, nobis esse certitudinem 4).

1) Quae autem de confessionibus fidei, formulisque liturgicis addidit Gieseler, hic non in censum venire, sponte intelligitur.

2) Cf. l. l. p. 127.

3) Cf. *Waarh. in L.* 1847. p. 518 sqq.

4) "Die Art seiner (de Corano sermo est) Sammlung, wodurch nie mit

Quodsi vero haud plura de Corani compositione innotuerint, nec de orationibus Mohammedis, in Coranum receptis, sermo esse potest¹⁾, nec satis nota sunt rerum adjuncta, quae in singulorum proverbiorum, postea in unum collectorum, origine vim habuerint, ut illa inter et nostram causam aequa satis institui possit comparatio. Praeterea non negligenda sunt ea, quae de variis proverbiiis, ante editum Coranum scripto mandatis, idem protulit Weil²⁾. E quibus nempe apparet, varias Mohammedis patefactiones, ipsius Prophetæ jussu, mox postquam editae erant, jam esse conscriptas. Quae igitur de Corani verbis memoria conservatis apud Weilium leguntur, adversus nostram, quam de sermonibus Johanneis tulimus, sententiam afferri non posse mihi videntur. Licet enim totum Coranum memoriae mandarint nonnulli³⁾, nostrae tamen, de qua agimus, causae aequiparari hoc nequit. Nam vel adeo brevia fuerunt Mohammedis proverbia, ut semel audita memoriâ teneri potuerint, vel ii, qui Corano addiscendo operam dede-
runt, aut ipsum Mohammedem, aut posteros ejus iterata vice de patefactionum argumento interrogare potuerunt, vel denique e scripta hauserunt annotatione. Haec omnia

Bestimmtheit der wirkliche Zusammenhang zwei auf einander folgender Verse, noch die Zeit oder Veranlassung ihrer Erscheinung angegeben werden kann," et quae sqq. Cf. ejus *Hist. crit. Einl. in den Koran*, 1844. p. 90 coll. p. 53. Ad quae verba respexisse videtur anonymus (*Waarh. in L.* 1846. p. 556 in annot.), quem laudat ipse Pareau l. l.

1) Cf. Sect. I. § 1 in fine.

2) Cf. l. l. p. 42; et ejus *Leben Moh.* ed. Belg. II. p. 240 (in annot. 228), coll. p. 70, 212 (in annot. 171), al.

3) Cf. idem Weil, *Einl. cact.* p. 54; *Leben M.* ed. Belg. II. p. 69—71.

vero quantopere differant ab iis, quae in sermonibus Christi a Joh. notatis, observavimus, rerum adjunctis, ex ante dictis satis manifestum esse credo.

Post ea, quae disputavimus, longa haud opus erit disquisitione de Lückii observatione¹⁾, juvenilem Johannis aetatem spectante, qua cum Christo versatus est, quaeque effecerit, ut Hujus verba facillime addiscere potuerit; ad quod probandum inprimis ad novam attendendum sit vitam spiritualem, in Apostolo ortam, quam consuetudini, cum Christo habitae, debuerit. Quae etsi lubenter concedimus, ex iis tamen haud facile explicare possumus, quomodo singulas Jesu orationes, inprimis ultimas, ita memoria conservare potuerit, ut authentica dici possit earum relatio.

Quid igitur? Num illis omnibus, quae recensuimus, nulla prorsus insunt, quae in tali facultate Johanni tribuenda, qua rite referre potuerit hos sermones, vim quandam habere potuerunt? Hoc non contendo²⁾. Id tantummodo nego, huic facultati Johanni tribuendae ea *sufficere*. Qua de causa vel provocandum esse statuo ad extraordinarium Dei auxilium, Johanni concessum, mox vero plenius definiendum³⁾; vel, si admitti illud non possit, nulla ratione veri nominis authenticam ultimis Jesu sermonibus, a Johanne notatis, tribui posse contendendo.

1) Cf. l. l. I. p. 237.

2) De his vero vid. § seq.

3) A quo caeteroquin neque alieni sunt nonnulli eorum, quorum tractavimus sententias hac §; qua de re § seq. sermo erit.

§ 2.

*Utrum extraordinarium cogitari possit Dei auxilium
Johanni concessum, quo difficultas, de qua
agimus, solvatur.*

Vidimus, Johannem illa memoriae vi, quae hominibus propria esse solet, ultimos Jesu sermones ita tradere non potuisse, ut revera authentici dicendi sint. Longiores enim sunt, quam ut, ejusmodi in conditione si quis versetur, in qua fuisse narratur Johannes, solida tantum animi facultatum vi gaudens, tam accurate memoria eos retinere posset. Quare verae eorum authenticae praesidium quaerendum erit in extraordinario quodam Dei auxilio Johanni concesso. Quod igitur utrum, theismi ex principiis, cogitari possit, primum inquirendum est.

Deinde autem, historicum quoddam ejus reperiatur indicium, necesse est. Sed hac de re infra demum videndum erit¹⁾. Sufficiat h. l. in antecessum monere, ejusmodi auxilii divini indicium, ut nobis quidem videtur, *ipsis his orationibus* inesse. Locum nempe spectamus, qui invenitur c. XIV:26 in fine, ubi Christus: *ὁ παράκλητος, inquit, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον... ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν.* Quibus verbis quaenam insit probandi vis, infra apparebit.

Nequē haec verba neglexerunt nonnulli e recentioribus, de quibus supra diximus²⁾. Ex his autem pri-

1) Cf. Sect. IV. Arcetius enim cum ipsa sermonum authenticae probatione conjuncta est haec quaestio, quam ut h. l. apte de ea agi possit.

2) Cf. hujus Sect. § 1.

mo loco Tholuckium laudo, qui fidei, sermonum Jesu relationi habitae, confirmationem in Articulo Fidei, qui est de Spiritu S., positam esse profitetur¹⁾. Deinde Lücke affirmare non dubitavit, fiduciae, in memoria Johannis reponendae, laudato Christi promisso praecipuum inesse fundamentum²⁾. At nihilominus tamen eo modo haec de re loquuntur hi duumviri, ut aliquid in- sit, quod minus probandum videatur. Nam primum varia ab iis colliguntur aliis generis argumenta, quibus comprobetur, Christi sermones *omnino* memoria retinere potuisse Johannem. Deinde, quasi ipsi videant, haec non sufficere, ad locum XIV:26 provocant. Sic Lücke, post alia argumenta exposita ita pergit: „Denique vero quare nos puderet, praecipuum fidei fundamentum afferre?“ et quae seq.³⁾. Eodem fere modo Tholuck, post alia in usum vocata, locum, quem diximus, sic affert: „Missis his probandi argumentis, aliud quoque satis forte nobis est fidei praesidium in Paraceto“ et quae seq.⁴⁾. Caeterum huc item pertinet Hauff⁵⁾, qui primum quoque exponit, quomodo varias alias ob causas

1) „Wie erst der Glaube an diesen Artikel (de Sp. S.) allem historischen Glauben an die Glaubwürdigkeit der Apostel das Siegel aufdrückt, so auch dem an die Zuverlässigkeit der Relationen der Reden Jesu.“ Cf. l. l. p. 346; atque legantur omnino pulere dicta, quae laudatis praecedunt.

2) „Die Hauptbürgschaft für die Treue und Sicherheit des Johanneseischen Gedächtnisses.“ Cf. l. l. I. p. 238. Caeterum cff. Bleek, l. l. p. 241, alique.

3) „Endlich aber was scheuen wir uns, die Hauptbürgschaft . . . in Anschlag zu bringen?“ Cf. eod. l.

4) „Abgesehen von diesen Argumenten haben wir indess auch noch einen anderen gar starken Rückhalt an dem Tröster“ caet. Cf. l. l. p. 345.

5) Cf. *Echth. v. Ev. v. Joh.* p. 283 sq., coll. 279.

horum sermonum poni possit authentia, deinde vero in laudando Christi promisso, l. l. obvio, acsi ejusdem generis argumentum esset, uno tenore pergit.

Quid vero? Num igitur, sublato hoc Christi promisso, de sermonum authentia tamen constaret? Sed si ita statuas, promissum illud „fiduciae in Johannis memoria reponendae praecipuum fundamentum” dici nequit; verum potius accedens quid habendum est, sine cujus auxilio de re probanda nihilominus certiores fieri possemus. Quodsi contra aliter sentiatur, parvaque caeterorum argumentorum vis agnoscatur, quare haec tamen ita informantur, acsi et ipsa gravissimi essent momenti? Johannes solitis animi viribus Christi verba memoria retinere vel potuit, vel non potuit. Si potuerit, extraordinario Dei auxilio hac in re opus ei non fuit; si vero non potuerit, candide fatendum est, caetera probandi argumenta haud sufficere; et quam parum iis hac in causa tribuendum sit, exponendum est.

Quaenam autem illius, de qua modo locuti sumus, Lüeckii aliorumque agendi rationis causae sint, nunc non quaerimus. Attamen Lüeckii verbis supra laud. metûs ejusdam, quem fovere quis possit, inesse videntur indicia, ne nimium urgeatur extraordinaria (s. supernaturalis, quae dici solet) Dei vel in mundo universo, vel in hominibus operandi ratio, cui tamen fides habeatur necesse est, si ipsi historiae Evangelicae, quippe miraculis quoque innixae, fidem denegare nolimus. Videamus igitur, utrum, theismi ex principiis, extraordinarium cogitari possit Dei auxilium, cujus ut „nos pudeat” 1)

1) Cf. Lüeckii verba supra laud.

haud opus sit. Quae vero ut rite instituatur disquisitio, antea indagandum est, cujusnam indolis esse debuerit illud auxilium, ut consilio, propter quod obtinisset, respondere potuerit.

Sponte jam intelligitur, in eo consistere debuisse auxilium, de quo agimus, divinum, quod *memoriae* Johannis peculiaris s. extraordinaria vis concederetur. Memoria enim ea animi facultas est, qua eorum, quae antea expertus sit homo, in eo resuscitatur imago¹⁾. Ut vero authenticam Christi sermonum relationem tradere potuerit Johannes, exacta eorum imago in mentem ejus redire debuit.

Spiritus igitur divinus in spiritu humano ita operatus fuerit, necesse est, ut ex hujus facultatibus una — memoria nempe — majorem adeptam sit vim, quam quae naturam ei propria esse soleat. Unde tamen non sequitur, separatam Dei in sola memoria requiri efficacitatem, quae simul et caeteras animi facultates spectare non posset; qua de re mox pluribus dicendum erit.

Ex iis autem, quae diximus, jam patet, talem non significari Spiritus S. actum, quo Hic Johannis, Christi dicta consignantis, veluti calamus duxisset, periodosque velut Ipse construxisset, ita ut nec libere cogitasset, nec manibus in scribendo libere usus fuisset Apostolus²⁾.

1) Consalto h. l. de *rerum imagine per memoriam in mente resuscitanda* diximus; quippe qua formula memoriae operandi ratio accuratius exprimitur, quam caeteris formulis, quibus et nos ex vulgari loquendi consuetudine hucusque in disputatione usi sumus, ut: *memoriae mandare, memoria retinere s. conservare*, alia.

2) Vix opus est, ut moneamus, ad eam nos respicere sententiam, quae vulgo *inspiratio mechanica* dicitur. Haec enim ab ejus fautoribus ad ser-

Neque ejusmodi spectatur Spiritûs S. efficacia, qua illo tantum, quo Evangelium conscriptum fuerit, temporis momento Johanni in mentem revocata sint Christi verba, ita ut mox rursus ex ejus memoria evanuerint¹⁾. Sed talis extraordinaria memoriae Johannis spectatur vis, divinitus ei concessa, qua Christi dictorum sermonumque longiorum²⁾ imaginem continuo in mentem sibi revocare potuerit, ubi vel ore, vel scripto eos referre voluerit.

Quaeritur vero, quomodo informandum sit vinculum, quod inter majorem hanc memoriae vim, Johanni concessam, omnemque Spiritûs S. in eo efficacitatem obtinuerit. Licet nempe extraordinaria illa memoriae vis *separanda* non sit a majore universae Christi doctrinae intelligentia, qua, ex Hujus promissis eademque Spiritûs S. efficacia, gavisus fuerit Johannes, haud *ea* tamen ratione utrumque conjungendum esse mihi videtur, ut *illa hujus* fuisse statuatur *consecutio*. Sic quidem utriusque vinculum sibi informavit Lücke³⁾, animadvertens, semper cum rerum intelligentia crescere memoriae vim, qua earum imago in mente resuscitetur; — quin imo haud raro fieri, ut cum senectute accrescat memoria. Quae etsi partim vera sint, haud satis tamen explicare

mones etiam, a scriptoribus ss. notatos, extendebatur. De inspiratione, universe spectata, vid. omnino Ebrard, *Christl. Dogm.* 1851. I. p. 31 sqq.

1) Cf. Lücke l. l. I. p. 239, ubi jure sententiam reprobatur, ex qua Spiritûs S. actus fuisset „ein abgerissenes Moment im Acte des Schreibens.“

2) Patet, me de absoluta verborum authentia sermonumque integritate non dicere, sed eam spectare, quam Sect. I. § 1. definitivimus.

3) Cf. l. modo laud. Vid. et Coolhaas v. d. Wonde, *Waarsk. in L.* 1848. p. 540 sq.

mihî videntur, quomodo *singulas orationes* easque *longiores* ¹⁾ referre potuerit Johannes, quae in ejus Ev. c. XIII seqq. occurrunt. Quas si sensu supra definito authenticas habere velimus, ejusmodi potius inter utramque rem requiri videtur vinculum, ex quo adaucta memoriae vis majori doctrinae intelligentiae non adeo *subordinanda*, sed utraque sibi invicem *coordinanda* sit, ita ut utraque peculiare Spiritûs S. donum s. *χάρισμα* habeatur, quorum tamen utrumque adeo inter se junctum fuerit, ut ejusdem Spiritûs S. efficacitatis fructus sit habendum. Ita nempe Spiritûs S. vi imbutus mihî informandus videtur Johannes, ut *omnium* animi ejus facultatum adaucta fuerit vis; in quibus igitur et memoria est ²⁾, quae *eam* vim acceperit, qua, ex Christi consilio, ad Evangelium denuntiandum verborumque Ejus cognitionem propagandam Apostolo opus fuerit.

Si autem quaeras, quid de caeterorum argumentorum statuendum sit pretio, de quibus supra diximus, — negare nolo, continuam sermonum repetitionem, cui ipsum munus Johannis apostolicum ansam praebuerit, ut et minorem scripturae usum, illi tempori proprium, aliquam hac in causa vim habere potuisse. Sed, cum apparuerit, haecce ³⁾, in se spectata, ad horum Jesu sermonum authenticam explicandam non sufficere, tantummodo ut *accedentia* in censum venire possunt, quibus ad rem *probendam*

1) De brevibus enim enuntiatis, imprimis proverbîis saepius repetitis, non dicimus.

2) Cf. v. Oosterzee, *L. v. J. I. I.* p. 141.

3) Caetera enim, de quibus egimus, vix ullam vim habere potuisse mihî videntur.

haud *opus* sit, quae vero, ubi adsunt, negligere non decet, quandoquidem *iis* quoque uti potuit Deus, ut consilia sua consequeretur.

Ad eam pervenimus disputationis partem, qua dijudicetur, utrum ejusmodi, quod descripsimus, extraordinarium Dei auxilium cum veri theismi congruat principiis. Theismo igitur qui addicti sumus, Deum tanquam summum Spiritum agnoscimus. Eidem homini quoque spiritum tribuimus, a Spiritu divino diversum. Modus autem, quo spiritus in spiritu operetur, ignotus nobis esse debet, quandoquidem spiritûs notionem plane comprehendere nobis non datum est. Quod cum ita se habeat, multo minus intelligi posse manifestum est, qua ratione ipse Deus, *qui πνεῦμα est*, in homine operetur, *cui πνεῦμα inest*. Quo igitur jure statuere licet, fieri haud posse, ut hominem tantopere Spiritu suo imbuat Deus, ut animi illius facultatum vis extraordinariâ ratione augeatur? Quid huic rei inest, quod vel Dei, summi Spiritûs omniumque spirituum Domini, superet potestatem, vel naturae humanae, ejusve cum Deo necessitudini contrarium sit ¹⁾?

1) Supra enim jam vidimus, hominis *cogitandi libertatem* ex hoc Spiritûs S. opere nullum damnum capere. Caeterum de patefactionis notionem, cum theismi principiis congrua, eff. omnino Bretschn. *Handb. der Dogm.* 4^e Aufl. I. § 22^b et Hase, *Hutt. Red.* 7^e Aufl. § 32. Attendatur autem ad discrimen, quod obtinet inter hanc, de qua dicimus, Dei in memoria efficacitatem et inspirationem propheticam s. patefactionem q. d. immediatam, qua non tantum res antea cognitae in memoriam revocentur, sed novae cogitationes cum homine communicentur, atque in ejus mente excitentur. Quod non magis adversus hominum libertatem pugnare, palere ostendit Bretschn. l. modo laud.

Sane si ita res informatur, nihil forsitan ei inest, quod offendat. Attamen gravis ei obesse videtur difficultas. Fatendum nempe est, *extraordinariam* quandam Dei efficacitatem h. l. significari. Nam aucta illa, si locum habuerit, Johannis memoriae vis cum animi ejus indole, s. *organismo* (sit venia verbo) non eâdem ratione conjuncta esse potuit, qua *vulgaris* memoriae usus cum eo conjunctus esse solet; sed cum Dei *patefactione extraordinaria*¹⁾ necessitudinem habet²⁾, quae quominus ipsa accipiatur, ejusdem generis obesse videtur difficultas. Quaeritur enim, utrum inter ordinariam et extraordinariam Dei in homine efficacitatem ejusmodi statui possit discrimen. Quod nempe si assumatur, Deus in vulgari rerum cursu quotidiano internae causarum effectuumque catenationi plus concedere videtur, quam peculiari hoc illove casu, quo alia ratione intercedat. Hoc vero ad eam nos ducere videtur sententiam, ex qua Dei, caeteroquin otiosi, *talis* cogitanda sit operandi ratio, qua vel in rerum cursum, caeteroquin cum necessitate proruentem, vel in hominum actiones,

1) Quae et vel *immediata* vel *supranaturalis* vel *positiva* dicitur. Hae vero denominationes patefactionis divinae characterem, ad quem describendum usurpari solent, minus accurate exprimere videntur. Quare neque extraordinarium Dei, quod spectamus, auxilium hisce nominibus indicavimus.

2) Cf. patefactionis immediatae definitio, quam dedit Bretschn. l. l. I. p. 192 sq., ubi eam vocavit: „eine solche, welche nicht von dem ursprünglich geordneten Causalnexus der Dinge abstammt, . . . (sondern) in den Causalnexus eintritt, sich mit ihm verbindet, . . . (und) von dem Urheber des Causalnexus abzuleiten ist.“ Ipse autem B. discrimen inter mediatam et immed. patefactionem rejicit, atque errori tribuit utriusque distinctionem.

caeteroquin a Deo independentes, nonnunquam mechanica ratione irrumpat. Ita etiam h. nostro l. Johannis memoria, naturali vi jam praedita, quae ex animi ejus humani conditione necessario originem duxerat, mechanico quodam immutata esset inflatu divino, quo causarum effectuumque, qui vulgo obtinet, nexus a Deo „immediate” disruptus esset.

Paucis igitur indagare conemur, quid haec de re statuendum sit. Mundi cursum naturae legibus definitum esse, constat. Videmus, adesse causas, propter quas haec leges perpetuo servari debent, easque vires dicere consuevimus. Quod quomodo cum continuo totius mundi regimine divino concinat, nullus est, qui explicare possit. Sed nemo tamen, — nisi Deistis annumerari velit, — mundi adspectabilis curam gerere Deum, negabit. Deinde, nisi libertas hominum moralis sumatur, omnem cadere Theismum, manifestum est. Quae vero qua ratione cum divino mundi spiritualis regimine in concordiam redigi possit, nullus est, qui bono successu exponere conetur. Nec tamen, hominem a Deo pendere, negamus. De Deo igitur otioso q. d. nullo modo nobis sermo esse potest, quippe cui sententiae continuum Dei regimen obsit, de quo ante omnia Theismo constat.

Sed jam quaeritur, utrum continua haec Dei in mundo, tum physico, tum morali efficacitas omnem aliam *extraordinariam* Dei in mundo operandi rationem excludat, quae e vulgari causarum nexu non oriatur, sed cum eo tantum se conjungat? Quum autem peculiaris illa Dei in spiritu humano efficacitas, de qua supra egimus, quam vero *extraordinariam* vocare coacti sumus, in se spectata, nihil habeat, quod offendant, — quid vetat,

quominus statuamus, *duplici* ratione Deum in homine operari¹⁾, quarum alterâ i. e. extraordinariâ utatur, ubi cum consilio Ejus convenire id videatur? Quis enim affirmare audeat, Deum semper vulgari illo uti velle nexu causarum? Num semper forsitan eo *indiget*? Num forte subditus ei est Deus? — Caveamus, ne *perversi* Supranaturalismi scyllam evitare conantes, in Pantheismi incidamus charybdin.

Deinde rogare liceat, nonne, duplicem ejusmodi Dei operandi rationem negantes, miraculorum vero fidem servare cupientes, magnis implicemur difficultatibus? Sumamus exemplum. De resurrectione Christi non dicam, quoniam fortasse objiceret quis, tantopere Spiritu divino imbutum Eum fuisse, ut resuscitatio Ejus e mortuis eadem ratione cum natura Ejus humana ἀναμαρτήτως conjuncta esse potuerit, quâ cum nostra natura conjuncta sit mors. Sed patet, hoc non cadere in adolescentem e. c. Nainensem, quem e mortuis resuscitasse narratur Christus²⁾. Nonne igitur absurdum fere est statuere, hujus juvenis resurrectionem eâdem ratione e vulgari nexu causarum ortam s. cum eo conjunctam fuisse, qua fuerit e. c. adolescentis, quae praecesserat, mors, aut vita ejus prior, quam solito more a parentibus acceperat? Ejusmodi in rebus alia sane ratione, quam quae caeteroquin obtinere solet, Dei operantis vim cum nexu causarum conjunctam fuisse, statuere coacti sumus³⁾.

1) Quin imo *quotuplici* ratione — quis definire possit? Sed patet, nos h. l. de Dei efficacitatis cum nexu causarum vinculo tantum dicere, ac, hujus tantummodo ratione habita, *duplicem* vocare Dei efficacitatem.

2) Cujus facti nunc sumo veritatem.

3) Neque igitur cum Bretschneidero (l. l. I. p. 194 sqq.) aliisque,

Sed objiciat forte quis: vulgaris tamen Dei cura continua ut minor operandi gradus sic informatur, quam extraordinaria illa, quae ex causarum nexu non oritur. In hac enim Deum inter et objectum, in quo operetur, nexus *intermedius* non adesse videtur, sed nullo intercedente medio, vel certe *magis immediate* Deus hic agere statuendus est.

Primum vero observare liceat, *eundem* quidem nexum causarum in utroque casu non obtinere, exinde tamen non sequi, in extraordinaria Dei efficacitate *nullum* prorsus causarum effectuumque nexum adesse. Ejusmodi enim hic esse potest, ut nos eum non videamus, neque ejus notionem s. imaginem nobis informare possimus. Sic e. c. in mortui juvenis Nainensis resuscitatione, quatenam conjunctio fuerit inter Christi potentiam, viri-umque physicarum efficacitatem, quis est, qui explicare possit? Ex hac ipsa vero inscitia nostra simul apparet, quare primo obtutu prorsus *immediata* nobis videatur Dei operandi ratio extraordinaria. Dubito tamen, an, accurate si loqui velimus, statui possit, *media* s. rerum nexum quendam, Deum inter atque objectum, in quo operetur, intermedium, unquam abesse. Quam vero si plenius definire velis quaestionem, ne in lusum verborum desinat disputatio, vereor. Hoc vero affirmari posse credo: *si* semper mediis uti Deus statuendus sit, — pro duplici, de qua diximus, Ejus operandi ratione, et ipse

distinctio inter ordinariam et extraordinariam in mundo operandi rationem s. patefactionem, mentis humanae errori tribuendum est, quasi lusus idearum esset, ex parva rerum divinarum, qua gaudemus, cognitione oriundus.

intermedius, in utraque qui obtinet, rerum nexus duplicis generis est.

Quid vero, si nonnunquam prorsus immediate agere vellet Deus? Homini non datum esse credo, hujus rei potestatem Deo abnegare. Ipsam enim immediatae efficitatis divinae indolem comprehendere nequit. Itidem nego, continuae curae s. providentiae, in qua mediis certe utitur Deus, hanc ob causam *minoris* operandi *gradus* convenire nomen, quo significetur, Deum vulgo rerum cursum aliquatenus adspicere otiosum. Hoc enim ad illam duceret sententiam, ex qua res molesta Deo foret magnique laboris, miracula patrare s. extraordinaria, de qua egimus, ratione in mundo operari.

Conjunctionem vero atque harmoniam aeternam, quae inter utramque illam Dei operandi rationem intercedant, plenius percipere non possumus. Hoc tantummodo teneatur: a se invicem utraque distinguenda est, nec tamen Deus tanquam in altera magis operosus informandus est. Ne igitur quis putet, me omnia jam explicata existimare, quae explicatu difficilia restent. Sed iis contenti simus, quae percipere nobis concessum est. Nec propterea quod non omnia explicari possint, totam rem rejiciamus; neque extraordinariam Dei absurdam habeamus operandi rationem, quam cum Ejus natura Ejusque cum mundo necessitudine pugnare, nullo modo apparet.

Sed ad Johannem redeamus. Ex iis, quae disputavimus, jam sequitur, eam Dei agendi rationem absurdam habendam non esse, qua extraordinarium Johanni concessum sit auxilium, quo memoriae ejus ita adaucta sit vis, ut ultimorum Jesu sermonum uberiores dare potu-

erit relationem. Quod peculiare Dei auxilium *hunc nostrum in locum* optime convenire, item facile intelligitur. Nam si praecedens disquisitio probaverit, quod probare conati sumus, haud amplius absurda videri potest *extraordinariae patefactionis* notio. Si autem apparet, in Christo et per Christum revera hanc datam esse hominibus, quid facilius intellectu est, quam ad *eam* denuntiandam *extraordinaria* Deum adhibuisse media. Sane Eo indigna haec agendi ratio dici nequit.

Atvero dicat quis: licet Deo indigna haud fuerit, eâ tamen non opus fuit. Nonne enim sufficit scire, Christi spiritu adeo imbutos fuisse Apostolos, ut rite doctrinae Ejus summam cum hominibus communicare potuerint? Quid refert, utrum orationes, quibus illa continetur, magis minusve fictae sint? Cui bono, ut ubique decernere possimus, quaenam Christo, quaenam Johanni tribuendae sint cogitationes?

Primum vero attendatur, nostrum non esse, ut *decernamus*, utrum ipsius Jesu orationum opus fuerit conservatione necne. Non omnia nobis innotescunt Dei consilia, neque causae omnes nobis palam fiunt, propter quas *ita* nec aliter egerit. Si igitur historia ansam praebeat ad statuendum, *voluisse* Eum, ut ipsos Christi sermones annotaret Johannes, omnis cadit quaestio, de hujus rei *necessitate* instituenda.

Attamen sponte eo ducit haec objectio, ut de verae *sermonum Jesu*, quam volumus, *authenticae momento theologico* paucis videamus. Qua in re minime negligendus est modus, quo de sermonibus, quos referunt, ipsi loquantur Evangelistae. Quodsi enim pateat, Johannem non ut libere relatos, sed ut vere authenticos eos nobis

offerre¹⁾, — eorum vero authenticam nihilominus varia propter argumenta rejiciendam esse, — quomodo amplius defendi poterit scriptoris nostri axiopistia? Quae si cadat, unde amplius certiores reddi poterimus, eum cogitationes fundamentales, de quibus antea²⁾ vidimus, bene tradidisse? Deinde, magnam sic perire historiae Evangelicae partem, sponte elucet.

Praeterea vero nonne magni faciendum est, si ipsum Christum audire possis loquentem? Licet enim, extra veram sermonum Jesu authenticam, promissorum Ejus stare possit veritas, quibus discipulis ad exponendam doctrinam suam Spiritus S. pollicitus sit auxilium³⁾, nonne tamen convenientia, quae inter praeceptoris discipulorumque doctrinam obtinet, comparatione inter utramque instituta, et plenius percipitur et magnopere confirmatur? Quae vero comparatio, nisi vere authenticae sint orationes, quae Christo tribuuntur, institui nequit. Tunc enim orationes illae non ostenderent, quid ipse dixerit Christus, sed quomodo Eum intellexerit dicentemque informaverit Apostolus. Sed hoc non est, quod doceri cupimus. *Apostolorum* doctrina praeterea ex eorum scriptis innotescere potest didacticis. Ex orationibus vero, ab iis relatis, quid ipse *Christus* docuerit, nobis constet. Quod ut ex iis appareat, omnes, quae

1) Qua de re vid. infra Sect. IV.

2) Cf. Sect. I. § 2 in Lückii sententiae expositione, ubi vidimus, difficillimum pensum theologicum, ex ejus sententia, suscipere eum, qui inter ea, quae Christus locutus sit, addideritque Johannes, discernere velit.

3) Haec scil. authentica esse possent, licet non omnia caetera, quae in orationibus Christi inveniuntur, ab ipso Christo oriunda essent.

in iis occurrunt, cogitationes a Christo profectae esse debent. Nec denique dicat quis: si magni ponderis hoc fuisset, doctrinam suam literis mandasset ipse Christus. Varias enim adesse potuerunt causas, propter quas aliter egit, Apostolisque mandaverit, ut Ejus verba notarent.

Quae cum ita sint, non tantum absurdum non est statuere, extraordinarium ejusmodi, quale supra definire conati sumus, Johanni concessum fuisse Dei auxilium; sed omnino cum theismi principiis conveniens, Deoque dignum habendum est. Quare hujus auxilii in tuenda horum sermonum authentia necessitas haud impedit, quin in disquisitione nostra pergamus. Infra tantum, in ipsa sermonum authenticæ probatione, historicum proferatur indicium, e quo, auxilio illo revera gavisum fuisse Johannem, jure effici possit.

SECTIO III.

DUBIA EXEGETICO-HISTORICA, ADVERSUS ULTIMORUM JESU SERMONUM AUTHENTIAM MOTA, QUOMODO REFELLENDÆ ?

Vidimus, qua ratione tolli possit difficultas psychologica, qua horum sermonum authenticia premitur. Transeundum igitur est ad dubitationes exegetico-historicas, quae contra eam afferuntur, dijudicandas. His autem nonnullae insunt, quibus simul etiam eorundem sermonum *annotatio Johannea* oppugnatur. Dein, quatenus ipsam *authenticam* tangunt, aliae alium ejus *gradum*, ut ita dicam, aggrediuntur. Aliae enim probare conatur, sermones totos esse fictos; aliae eo ducit, ut statuamus, didisse, vel libera ratione eos tradidisse. Cujus rei, quoad ejus fieri possit, in disputationis cursu constituendo ratio habenda est. Simul vero ad aliud attendendum est mutuum dubitationum vinculum. Altera

enim earum pars horum sermonum et *relationum Synopticarum* spectat discrimen; altera ex eorum cum ipsis *scriptis Johanneis* conjunctione petita est. Quin et aptius agere nobis videmur, si, hanc argumenti tractandi divisionem sequentes, bipartitam instituamus nostram disputationem.

CAPUT I.

DE DUBITATIONIBUS, EX HORUM SERMONUM CUM SYNOPTICORUM RELATIONIBUS VINCULO HAUSTIS.

Multum disceptatum est de Evangelii Johannei prae Synopticorum scriptis praestantia. Viderunt interpretes, sublimiores esse eas, quas hic illic Johannes addidit, observationes, imo philosopham fere indolem spirare totam, quam hic secutus est, historiae tractandae rationem. Praeterea, qui hinc inveniuntur, Jesu sermones magis de Ejus persona Ejusque metaphysica cum Deo conjunctione agunt, quam qui apud Synopticos occurrunt. Quin et totum Evangelii argumentum magis philosophum est, unde antiquitus jam *πνευματικὸν* dictum est 1). Quod discrimen effecit, ut haud raro non tantum minus aestimari, sed et nonnunquam minore fide digni haberi inceperint Synoptici.

In hanc vero agendi rationem inductus est Bretschneider, qui, licet majorem quarti Evangelii agno-

1) Cf. v. Oosterzee, *L. v. J. I.* p. 144.

scat sublimitatem, e contrario contendit, philosopham hanc ejus formam potius *adversus* scriptoris axiopiastiam testari, quum, ex ejus sententia, Synopticorum relationes magis cum rei natura conveniant, suaque simplicitate tanquam ex vero factae se commendent¹⁾.

Sed omnis haec quaestio tollitur, si tum Synoptica, tum Johannea Christi imago, ut ita dicam, non tantopere inter se differant, ut alterutra tantum vera esse possit. Quod, quatenus ad ultimos Jesu sermones spectat, paucis probare conabimur.

§ 1.

*De externa horum sermonum cum traditione
Synoptica conjunctione.*

a. *De his sermonibus, fere totis a Synopticis
neglectis.*

Primo loco de externa horum sermonum cum traditione Synoptica conjunctione agendum est. Qua in re statim se nobis offert dubitatio, ex eo petita, quod orationes, de quibus dicimus, magnam partem apud Syn-

1) Pulera Schweizeri est observatio (*Ev. Jo.* p. 55), qua docet, dis-
crimen Synpticos inter atque Johannem, in se spectatum, non adversus
hujus afferri posse axiopiastiam, quum fraudator, qui postea vixerit, et
"mit so neuen, hinterher kommenden Originalitäten wider die Macht
schon verbreiteter Evangelientradition hätte ankämpfen müssen, darum,
falls er im Interesse eines spätern Bewusstseins ein Evangelium schreiben
wollte, dieses Interesse zu grösserm Vortheil in weit besserm äussern
Einklang mit jener Tradition hätte befriedigen können."

optidorum nullum inveniantur. Est hic locus communis in oppugnandis plurimis relationibus Johanneis, quod non nisi apud solum Johannem occurrant. Praesertim vero nostra in re alicujus certe momenti est haec dubitatio, quandoquidem ultimi vitae Christi vesperis historiam caeterum satis accurate descripserunt omnes Evangelistae.

Sed attendendum est, inique agere eos, qui postulent, ut ubique causa indicetur, quare alter hoc, illud alter vel receperit, vel omiserit. Licet enim aliquatenus cognita habeamus consilia, quae in Evangeliiis conscribendis assequi studuerint singuli Evangelistae, credo tamen, nos hoc, quo vivimus, aevo non amplius decernere posse, quibus causis permoti, singularum historiae s. partium ratione habita, ad consilia, quae foverint, consequenda vel hac, vel alia ratione egerint. Saepius nempe fit, ut in hoc illove Evangelio frustra quaerantur res, ex alio Evangelio cognitae, quae tamen, ex scriptoris, quatenus nobis innotuerit, consilio, recipi debuisse videantur¹⁾. Ex quo nisi concludere quis velit, ipsi Evangelistae talia haud innotuisse, causas nobis ignotas esse apparet, quibus in singulis recipiendis, vel praetereundis ille ductus fuerit. Eadem vero ratione de omnibus iis judicandum est, quorum vel factae vel omissae commemorationis nullam causam perspicimus. Aetas nostra ab aevo Apostolorum

1) Sic e. c. saepius observatum est, historiam gloriae, in monte Jesu concessae (cf. Mt. XVII: 1 sqq. c. ll. pp.), in Ev. Joh. non esse receptam, licet optime conformata sit ad probandum, Jesum esse Dei Filium; quod, etsi non unicum, praecipuum tamen Ev. Joh. consilium esse, ipse docet ejus auctor: XX: 31.

nimum distat, nec satis nobis innotuit conditio eorum, quorum in commodum scripta sint Evangelia, quam ut causas illas omnes cognoscere possemus. Sed ex ignorantia nostra adversus Evangelistarum axiopiastiam argumentum sumere non licet ¹⁾.

Haec autem de nostra quoque valent quaestione. Ultimos Christi sermones Johanneos in Synopticorum haud inveniri relationibus, causae tribuendum esse potest, quam ignoramus. Qua in observatione acquiescere magis placet, quam longa disquisitione hypotheses proferre et dijudicare, e parva lectorum intelligentia, vel praejudicatis eorum opinionibus, aliisque ex rebus derivatis, quibus quaestio solvatur. Nulla enim ex his nobis oritur certitudo.

Deinde non negligendum est, ad cap. XIII : 36-38, — quibus Petri, quae dici solet, „abnegatio” praenuntiatur, — locum reperiri parallelum Luc. XXII : 33, 34 ²⁾. Tantummodo vinculum, quo cum praeced. connexum fuerit colloquium illud, apud Joh. magis definita ratione traditur. Nec, quae uberiora apud Lucam (s. 31, 32) habentur, Petrum spectantia Christi verba cum narratione Johannea ejusque contexta oratione pugnant, sed huic facile inseri possunt.

Hoc ipsum autem magni inprimis est momenti. Nam tunc sane e discrimine, inter Evangelistas quod obtinet, difficultas oriretur, si ita conformata esset narratio Syn-

¹⁾ Cf. G. J. Vinke, *Diss. theol. de Christi, e cruce pendente, vocibus*, 1846. p. 112.

²⁾ Quae a Mt. (XXVI : 33—35) et Mr. (XIV : 29—31) notata leguntur, paulo post demum edita esse videntur. Cf. infra § seq.

optica, ut nec sermones, quos commemoravit Johannes, traditioni Synopticae, nec annotationes Synopticae sermonibus Johanneis ullo loco inseri possent. Quod tamen in nostram causam non cadit. Tantummodo nempe dubium quoddam oriri potest de ordine, quo varia Christi dicta et colloquia, cum discipulis habita, sese exceperint¹⁾. Hoc vero adversus internam narrationum convenientiam nunquam afferri potest. Jure enim tum Frommann²⁾, tum Hauff³⁾ animadverterunt, nullum scriptorem, qui non omnia referre velit, quae hac illave opportunitate facta sunt, ita narrare, ut locum *ostendat*, cui ea, quae omiserit, inserenda sint, — nisi peculiaris sit causa, cur ita agat. Modo *adsit* locus, cui inseri possint. Vel, aliis verbis ut utar, non oritur molestia, si *plures* adsint loci, sed tantum nascitur, si *nullus* adsit, cui inseri possit historia omissa. Cujus observationis momentum ex altero, de quo h. l. agendum est, dubio magis etiam apparebit.

b. *De S. Coenae institutae commemoratione,
a Johanne neglecta.*

Altera, quae huc pertinet, dubitatio ex S. Coenae institutae commemoratione, a Joh. omissa, sumta est. Quae igitur quaestio priori in eo opposita est, quod hic non ex Johanne Synopticis, sed ex his illi quaedam inserenda sint. Quare jam in Johannea narratione vel unus,

1) E. c. quo loco inserenda sint Luc. XXII: 35—38.

2) Cf. *Stud. u. Krit.* 1840. p. 886.

3) Cf. *Stud. u. Krit.* 1846. p. 618.

vel plures indicandi sunt loci, quibus hoc factum inseri possit. Quos locos in *ultimorum sermonum initio* inveniri debere, apparet e collatione instituta inter Synopticorum Johannisque relationes, Judae proditiōis denuntiatiōem spectantes, ut et e locis modo laudd., quibus de Petro agitur. Sed varia hac de re monuerunt nonnulli, de quibus videndum est.

Jure Baur¹⁾ et Lützelberger²⁾, Straussii rejiciant sententiam³⁾, statuentis, fieri potuisse, ut scriptor noster S. Coenae institutae historiam nesciverit. Ipsam scilicet S. Coenam tanquam ritum, ubique in Ecclesia receptum, quidem cognovisset, ignorasset vero, qua ratione eam instituerit Christus. A quo tamen ut eam derivaret, mystica quaedam huc spectantia Ei tribuerit verba (VI: 48 sqq.). Huic vero Straussii opinioni Baur rite opponit, vix credibile esse, scriptorem, qui tanquam ritum Christianum S. Coenae celebrationem cognoverit, atque in caeteris se traditionis Synopticae haud ignarum fuisse ostendit, Coenae illius, a Christo institutae, historiam nescivisse⁴⁾.

Sed minime Bauro assentimur, ubi, pro sua agendi ratione, omissam S. Coenae institutae commemorationem ita cum totius Evangelii conjungit dispositione et consilio, ut sermonum Jesu ultimorum, quibus illa inserenda sit, originem soli scriptoris pragmatismo tribuen-

1) Cf. *Kann. Evv.* p. 259 sqq.

2) Cf. l. l. p. 281.

3) Cf. *L. J.* II. p. 408.

4) Cf. etiam, quae monuit Ebrard, *Kr. d. E. G.* p. 520 sq., et Lücke in *Joh.* l. l. ad XIII: 31.

dam esse statuat. Invehitur nempe in eorum sententiam, qui causam, propter quam S. Coenae celebrationem praetermiserit Johannes, non nisi in eo quaerunt, quod ex Synopticorum Paulique relationibus jam satis innotuisset ejus historia. Quodsi enim ita statuendum esset, locus ostendi posse deberet, ubi apte haec inseri posset.

Jam vero *adest* talis locus, quamquam ipse eum non indicavit scriptor. Vel potius *plures* ejus generis locos inveniri dicendum est. Sed modo vidimus, hoc difficultatem non parere, si in narratae historiae veritatem inquiramus. Ut mihi autem videtur, aptissimus locus, quo prima S. Coenae celebratio inseri possit, inter XIII:35 et 36 invenitur. Si vero mavis, item post s. 30 vel 32 vel 33 intervallum statui potest, quo inseratur ¹⁾. Unde apparet, ex omissa ejus commemoratione, nihil adversus ultimorum Christi sermonum eorumque initii authenticam effici posse.

1) Quominus post s. 30 inseratur, aliquatenus obesse mihi videtur interna hujus sect. cum s. 31 conjunctio. Cujus nempe verba priora, quae tempus definiunt, optime quidem sinunt, ut inter Judae abitum et Christi verba (s. 31 sqq.) aliquod temporis intervallum obtinuisse statuatur. Ipsorum vero horum verborum initium, quod s. 31 legitur, multo melius mox post Judae abitum enuntiari potuisse videtur, quam si statuas, S. Coenae hic inserendam esse celebrationem. Quae facilius certe post s. 32 vel 33 inseri potest. Attamen sic quoque aliquatenus offendere videtur minus suavis, qui tunc obtineret, transitus a Jesu verbis, apud Johannem obviis, ad ea, quibus ex narratione Synoptica in S. Coena instituenda ille usus sit. Aptissime contra hujus ritus celebratio excipere potuit verba, s. 34, 35 memorata. Objiciunt quidem nonnulli, ut e. c. Meijer, sic Petri interrogationem s. 36, quae verba s. 33 spectat, nimium ab hisce distare. Sed recte Lücke observat, etiam s. 34, 35 aliud jam tractari argumentum, quam id, ad quod mox respicit Petrus. Cui addatur, verba Christi

Si autem quaerimus, quare eam omiserit Johannes, primum ad ea provocamus, quae supra de ignorantia nostra diximus, qua fit, ut saepius nesciamus causas, propter quas haec illave omiserint singuli Evangelistae. Caeterum vero fieri potuit, ut repetere noluerit Joh., quae a tribus jam Evangelistis, ut et a Paulo, scriptis mandata erant, ritumque spectabant, communi usu in Ecclesiis receptum. Cui certe illud non obest, quod attulit Strauss¹⁾, Johannem tunc coenam, c. VI:5 sqq. narratam, item praeterire debuisse, quippe cujus apud Synopticos item occurrit historia. Haec enim coena ansam dederat sermonibus, qui VI:26 sqq. memorantur. Saepius autem in Evangelio Johanneo orationibus praecedit opportunitatis, ad quam pertineant, narratio²⁾.

Attamen et aliud quid h. l. memorandum est. Baumgarten nempè si audias³⁾, S. Coenae institutae relationem hanc ob causam non dedit scriptor noster, quoniam post ea, quae VI:51-58 retulerat, res ipsa omni

Mt. XXVI:29 facile ei in memoriam revocare potuisse ea, quae antea dixerat Ille: Jo. XIII:33. Caeterum cf. v. Oosterzee, *L. v. J.* III. I. p. 172 sq. Aliorum sententias vid. apud Lückium l. modo l. Quibus addatur Stier, *Red. Jesu* VI. in *tabula harmonistica praemissa* et p. 145 sq. De S. Coena non ante prodictionis denuntiationem inserenda cf. v. O. l. l. p. 163. Praeterea ex Luc. XXII:24—30 coll. Jo. XIII:2 sqq. apparet, Lucam non sequi ordinem chronologicum. Cf. v. O. l. l. p. 149.

1) Cf. *L. J.* II. p. 402.

2) Cf. omnino Ebrard, *Krit. d. Ev. Gesch.* p. 521. Caeterum vid. quae attulerunt Lücke ad XIII:31, et Frommann, *Stud. u. Krit.* 1840. p. 885 sq.

3) Cf. l. l. p. 260, 264.

momento illi carebat. Scilicet Baur fuse defendit sententiam, ex qua haec cap. VI pars in primis ad S. Coenam respiciat. Quin imo e ss. 51, 58 efficiendum esse credit, ad ipsa S. Coenae institutae verba respexisse scriptorem. Deinde animadvertit, Christum ex Evangelistae narratione hunc item sermonem, instante Paschatis quodam festo, habuisse (cf. VI:4). Ex quo appareat, rem, quam ad ultimum vitae Jesu Pascha referunt Synoptici, ab Evangelii Joh. scriptore in aliud Pascha, antea a Christo celebratum, translata esse, unde eo magis sequeretur, cap. VI:51-58 ad S. Coenam respici¹⁾. Quod si ita sit, scriptor noster, qui hanc solam ob causam facta enarret, vel fingat, ut ad fingendos sermones ex iis ansam capiat, ipsam S. Coenae institutae narrationem praeterire debuit, quum omnia, quae hac opportunitate Christo tribuere potuisset, verba ad construendum sermonem, cap. VI obvium, jam adhibuerat.

Vix opus est dicere, hanc argumentationem, quatenus verborum Jesu authenticam oppugnat, prorsus ex aëre pendere. Quod vero ad causam attinet, cur omissa sit S. Coenae celebrationis narratio, aliquid veri ei inesse potest. Etsi enim tum ipse Joh. quarti Evangelii scriptor habendus sit, tum verba VI:51 sqq. omnino ad Christi mortem referenda sint, cum Johannis scribendi consilio magis convenire potuit, ut ea notaret, quae de

1) Qua de quaestione eff. G. J. Vinke, *Jaarbb. caet.* VII. p. 304 sqq., et scriptores ab eo laud. Quod autem peculiariter ad Bauri sententiam attinet, vidd. Hauff, *Stud. u. Krit.* 1846. p. 619 sqq., Ebrard, *Ev. Jo.* caet. p. 61 et Rauh, *Deutsche Ztschr.* 1850. p. 352 sqq.

communione spirituali cum morte sua dixerat Jesus, quam ut cerimoniam memoraret externam, praeterea satis notam, quae communionis illius erat imago ¹⁾. Attamen haec omnia hypothetica semper manent, neque ad ullam unquam conclusionem ducunt probabilem. Sed neque hac nobis opus est, ut sermonum, de quibus dicimus, authentia defendi possit ²⁾.

§ 2.

*De interno horum sermonum cum Christi imagine
Synoptica vinculo.*

a. *De doctrina Christi, his sermonibus tradita,
a Synoptica Ejus doctrinae relatione
diversa.*

Multo gravior alia dubitatio est, quae ad discrimen pertinet, quod Synopticos inter atque Johannem inveni-

1) Vid. omnino v. Oosterzee, *L. v. J.* III. 1. p. 173 sq.

2) Quare neque ex professo agemus de sententiis tum Lützelbergeri (l. l. p. 281 coll. 280), tum Schwegleri (*Napl. Ztter* II. p. 358). Quorum prior hancee quaestionem cum Evangelii consilio apologetico conjungit, cui consequendo haud inservire potuerint S. Coenae institutae verba, quippe quae Christum "zu menschlich erscheinen lassen." Schwegler vero e S. Coena haud commemorata scriptoris nostri probare conatur antijudaismum. Pseudo-johannes nempe in lite de die, quo Paschatis festum in Ecclesia celebrandum esset, a partibus steterit eorum, qui consuetudinem Judaicam hac in re servandam esse negabant, et S. Coenae celebrationem praetermiserit, "um jeden Anlass zu entfernen, dass das letzte Mahl Jesu für das Paschamahl gehalten werden könnte" (prout rem informant Synoptici).

tur, sed internam magis spectat Christi imaginem, ab utrisque nobis traditam. Sunt enim, qui contendant, doctrinam, quam protulerit Christus, tum quod ad argumentum, tum quod ad formam attinet, a Johanne longe aliter, quam a Synopticis referri. Unde patet, vel eam partim non ab ipso Christo, sed ab Evangelistis oriundam esse, vel alterutram saltem ejus descriptionem falsam esse. Quod licet non *solos* ultimos Jesu sermones spectet, ad eos tamen quoque referendum est.

Concedimus, insigne obtinere discrimen inter rationem, qua Christus apud Synopticos et apud Johannem loquens inducitur. Apud posteriorem nempe saepius tum de divina natura sua, tum de intima cum discipulis suis conjunctione disserit. Apud Synopticos contra saepius vel parabolae inveniuntur, ex vitae humanae consuetudine sumtae, vel adhortationes occurrunt, vitia spectantes, quae inter Judacos vigeant, vel et alia tractantur rerum argumenta. Quod quidem tam notum est, ut uberiore expositione haud indigeat 1). Nec mirum igitur, jam multa apologetica hac de re scripta esse 2).

1) Cf. inter alios Bertholdt, *Einl.* III. p. 1303; imprimis vero Bretschn. *Prob.* p. 31 sqq. Dubia ab eo allata, a posterioribus historiae Evangelicae oppugnantibus recocta atque adaucta, brevi summa relata reperiuntur apud Tholuckium l. l. p. 312 sqq. Vidd. etiam Lücke, l. l. I. p. 123 sqq., ut et Paré, *Diss. de Ev. Jo. non prorsus dissim. prioribus* caet. 1828. p. 60 sq.

2) E quibus provocamus ad scriptores a Crednero laudatos l. l. I. 256 sq. Quibus addantur Hauff, *Echtheit v. 't Ev. v. Joh.* p. 196 sqq.; 259 sqq.; Tholuck l. l. p. 315 sqq.; Lücke, l. l. I. p. 124 sqq.; Frommann, *Joh. Lehrbegr.* p. 54 sqq.; Neander, *L. J.* 4^o Aufl. p. 177 sqq.; v. Oosterzee, *L. v. J.* I. p. 143 sqq.; Paré, l. l. p. 62 sqq., alii.

Quae satis, ni fallor, probarunt, discrimen, quod *formam* spectat orationum, tum a Synopticeis, tum a Johanne relatarum, magnam partem e discrimine inter earum *argumentum* explicandum esse, hoc vero rursus e diverso Synopticorum Johannisque scribendi consilio esse oriundum. Ut nempe Joh. probaret, Christum Dei Filium esse, (ne de aliis rebus, quae hñc in censum venire possint¹⁾, dicamus), longe alius indolis sermones referendi erant, quam ubi de regno suo ejusque subditis disserentem Eum inducebant Synoptici²⁾. Quod cum ita sit, facile intelligitur, formam quoque tenus, utrumque orationum genus a se invicem differre; nec amplius mirum videtur, Christum apud Synopticos magis gnomice et parabolice, apud Johannem magis dialectice loqui. Deinde h. l. conferenda est egregia tum aliorum, tum Schweizeri observatio, quae docet, rei naturae quam maxime congruum esse, in urbe Hierosolyma coram doctioribus alia tractasse Christum, quam quae coram simplicioribus in Galilaea exposuerit³⁾.

1) Ut de tempore quo, lectoribusque quorum in commodum scripserit Joh.; de quibus vid. Paré, l. l. p. 64.

2) Quod tamen hand ita intellectum volo, acsi Joh. nil de *his* aliisve, Synoptici nihil de *illis* referant, neque alia, praeter hocce, consilia habuissent utriusque.

3) „Oder war nicht“ — sic dicit S. — „war nicht Jerusalem durch viele Mittel geistiger Bildung, welche namentlich den vornehmern, leitenden Klassen, den *ἰουδαίοις* unsers Evangeliums, eigen sein musste, der geeigneterer Ort für hüllenlosere Mittheilung höherer Ideen als Galilaea, wo Jesus meist mit *ἔθνοις* zu verkehren hatte? Es scheint sehr natürlich, dass er vor letztern das Ideale in Gnomen und Gleichnisse zu hüllen strebte, in welchen dasselbe, wenn auch nicht gleich verstanden, doch sehr behaltbar aufgefasst wurde; vor gebildeten Judaeern dagegen oft in

Quod autem peculiariter ad *ultimos* Christi sermones attinet, — licet ab orationibus Synopticis magnopere differat eorum habitus, haud negligendum tamen est discrimen, quod eos inter et caeteras orationes Johanneas, coram τοῖς Ἰουδαίοις habitas, obtinet. Si vero in ultimis quoque sermonibus alia ratione atque in Synopticis Christus loquatur, illud magnam partem ex oportunitate qua, ut et ex auditoribus, coram quibus locutus sit, explicari potest. Ne enim obliviscamur, in ultimis sermonibus Johanneis cum discipulis amicissimis Eum agere de rebus, quae futurum eorum munus spectabant ¹⁾. Sed tota haec quaestio difficillima est, si ratiocinando eam prorsus decernere velis; nec nisi accurata sermonum Johanneorum atque Synopticorum contemplatione solvi potest. Quod item de precibus cap. XVII valere, sponte intelligitur.

Caeterum discrimen Synopticos inter atque Johannem, quatenus ejusmodi tantum vel verba, vel dicendi formulas spectat, quae, salvo cogitationum, quas exprimunt, sensu, cum aliis permutari possint, tuto, salva sermo-

freierer Weise sein messianisches Selbstbewusstsein aussprach, und polemisch vertheidigte." Cf. l. l. p. 29 sq. Vid. etiam, quae hac de re monet Luthardt, *De compositione Ev. Joann.* Norimbergae 1852, p. V sq.

1) Cf. Bretschn. *Prob.* p. 125, ubi ultimos sermones Johannicos inter eos laudavit, e quibus eluceat, eos inservire debuisse ad exponendam τὴν γὰρ, quam cum discipulis, fide et amore cum Ipso junctis, communicaverit Christus; ex quo ipse B. Johannis Synopticorumque, de doctrina Jesu referentium, discrimen explicandum censet. Quod certe in *ultimis* Jesu sermones optime convenit, minus vero in caeteras orationes Johanneas cadere mihi videtur, quippe quae magnam partem coram inimicis habitae sint.

num authentia, ipsorum Evangelistarum tribui potest scribendi rationi¹⁾.

Hucusque de *discrimine* Johannem inter atque Synopticos diximus. Sed observandum etiam est, non ubique hoc obtinere. E comparatione enim, inter hos illumque instituta, elucet, discrimen illud (dicendi formulas si excipias minoris momenti) evanescere, ubi ejusdem generis in utrorumque scriptis tanguntur argumenta. Cujus rei insigne praebent exemplum ipsi ultimi sermones Johannei²⁾, de quorum *convenientia* cum orationibus Synopticis jam paucis videamus.

Ad ultimos igitur Christi sermones si singulatim attendas, primum apparet, varia iis inesse, quae haud adeo dialecticam spirant indolem, nec magna indigent explanatione dogmatica; eff. e. c. XIII: 34, 35; XIV: 1, 27; XV: 12-21; XVI: 1-4, 32, 33; XVII: 14-18. Praeterea ex iisdem apparet sermonibus, Christum prouti apud Synopticos, sic et apud Johannem imaginibus uti

1) Cf. omnino dicendi formulae Johanneae, quas collegit Credner, l. l. p. 223 sqq.; et perpendatur, quanta earum copia tantummodo vel ad grammaticam periodorum structuram, vel ad cogitationum formam haud necessarium pertineat. Cf. et Lücke l. l. I. p. 124 sq., qui tamen, pro sententia sua ante exposita (vid. supra Sect. I. § 2), authenticam illam non-absolutam (quae quid secundum eum significet, item supra vidimus) hoc quoque loco nimium premere mihi videtur. Sic (p. 125 in fine) hac ratione scribit: „Mag die synoptische Fassung mehr die ursprüngliche sein, die Johanneische ist darum nicht unwahr; sie ist mehr Entwicklung“ caet. Sed tali auxilio si utamur, id, quod altera manu tenetur, si quid video, altera traditur.

2) De caeteris eff. loci allati a Lückio l. l. I. p. 124; quibus addantur Joh. XIII: 13—17 coll. Luc. XXII: 24—30, et Joh. XIII: 20 coll. Mt. X: 40.

rhetoricis¹⁾; eff. XV:1-6; XVI:21, 22. Nec denique negligenda est magna convenientia inter varia Christi dicta, his in sermonibus obvia, atque alia Ejusdem enuntiata, quae, alia data opportunitate, edidisse traditur a Synopticis²⁾. Quibus haec fere annumeranda esse credo:

cum	XIV:2	cf.	Luc. XXII:29, 30.
"	"	7-9	" Mt. XI:27 ^b (coll. Joh. I:18).
"	"	12	" Mr. XVI:17, 18.
"	"	24 ^b	" Luc. X:16 ^b .
"	"	27	" Mt. XXVIII:20.
"	XV:6	"	" VII:19; XIII:30, 40, coll. XXVI:24.
"	"	20	" X:24, 25; Luc. VI:40 (coll. Joh. XIII:16).
"	"	21 ^a	" X:22 ^a ; XXIV:9 ^b
"	"	26, 27	" X:20; Act. I:8 (coll. Joh. XIV:17 in fine).
"	XVI:2	"	" X:16-18 (coll. Joh. XVII: 33 med.).
"	"	16	" XXVI:32; Mr. XIV:28.
"	"	20 ^a	" IX:15 ^b
"	"	23 ^b	" XXI:22.
"	"	32	" XXVI:31; Mr. XIV:27.
"	XVII:2 ^a	"	" XI:27 ^a ; XXVIII:18.

1) Notavit Bretschn. (l. l. p. 2), locum XV:1-6 in parabolarum numerum non esse referendum. Sit ita, si hoc nomen iis tantum convenit imaginibus, quae narrationis habent formam. Sed ad idem tamen genus atque illae haec pertinet imago, quae cap. laud. legitur. Quam quidem frigidam dicere, eidem placuit Bretschneidero (l. l. p. 154)

2) Cf. v. Oosterzee, *L. v. J.* III. l. p. 193.

cum XVII:15 cf. Mt. VI:13^a
" " 25 " " XI:25.

Sed paucis jam videamus, quodnam sit rerum, quae hisce ll. tractantur, argumentum, ut appareat, quibus in rebus Jesu doctrina, a Johanne hîc exposita, cum Synopticorum relationibus conveniat. Christus igitur se vocat Dei legatum (XIV:24)¹⁾, cui omnium rerum data est potestas (XVII:2), qui vero nunc Patrem patefaciebat hominibus (XIV:7). Cujus deinde abitus, qui instabat, discipulis, postquam hi Eum deseruissent (XVI:32), magno esset dolori (XVI:20). Qui vero postea ad eos erat rediturus (XVI:16), iisque per Spiritum S. in aeternum adesset (XIV:17, 27). Quo Spiritu imbuti, testes Christi essent discipuli coram mundo (XV:26, 27), et, — licet varias subirent persecutiones (XVI:2), sicuti Ipse passus erat Christus (XV:20), quasque *Ejus causa* perferrent (XV:21), — in Evangelii tamen denuntiatione magna patrarent opera (XIV:12), dum exaudirentur eorum preces (XVI:23), ipsique servarentur a Malo (XVII:15); donec, opere peracto, in aedes coelestes reciperentur (XIV:2). Mundus contra, quatenus Christo fidem non haberet (XVII:25), in perniciem rueret (XV:6).

Jam vero, si de his omnibus, secundum Synopticos, vel ante vel post, similia professus sit Christus, neque alia ultimis sermonibus insint, quae diserte adversus dicta Christi, a Synopticis relata, pugnent, haud facile sane hi sermones tanquam discrepantiae testes afferri

1) Locos parall. ex synopticis brevitatis causa omisi. Vide eos in scheda praemissa.

poterunt, quae Synopticorum inter atque Johannis relationes obtineret. Caeterum apparet, unumquemque scriptorem aliquid certe sibi proprium habere, quod peculiari colore relationes ejus tingit. Sed itidem manifestum est, hoc in ipsis quae referuntur, cogitationibus haud necessariam vim habere¹⁾.

b. De diversa, in qua, ex Synoptica Johanneaque relatione, ultimo vitae vespere Christus versatus fuerit, animi conditione.

Sed nonne animi tamen conditio, in qua Christus ultimo vitae Ejus vespere versatus sit, prorsus alia fuisse dicitur ex Synopticorum relationibus, quam quae fuerit ex Johanneis²⁾? Apud Synopticos nempe summi angoris atque doloris mentio fit, quibus submissus fuerit Christus in horto Gethsemanitico; apud Johannem contra in sermonibus precibusque, laeto animo, de futura gloria ita disserit Christus, ac si praesentem jam eam videret; discipulosque, ne turbati essent animo, adhortatur³⁾. Jam vix credibile esse contenditur, tantam animi affectuumque permutationem tam exiguo temporis spatio locum habuisse. Inprimis precum (c. XVII) habitum atque rationem Strauss urget, quippe quas post breve temporis intervallum verba Mt. XXVI:38 excipere haud potuerint.

1) Caeterum cf. infra Cap. II. § 4.

2) Cf. Bretschn. l. l. p. 33 sqq.; Strauss l. l. II. p. 440; Weiss l. l. II. p. 294.

3) Non ubique apud Joh. laetitiae, apud Synopticos tristitiae praevalere sensum, qui hoc vespere Christo proprius fuerit, testantur Joh. XIII: 21 et Luc. XXII: 29, 30.

Primum vero rogare liceat, quid sit breve temporis spatium. Sermones enim precesque ex relatione Johannea omnes in aedibus, in quibus coenam celebraverat Christus, non vero in via, s. postquam ex aedibus profectus erat in hortum, enuntiatas esse censeo. Quod non tantum ex XVIII:1^a, sed ex eo etiam mihi apparere videtur, quod, si post XIV:31 jam domum reliquisset Christus, pro scriptoris nostri more narrandi, quem inprimis in tradenda perpeccionum historia sequitur, illo loco annotationem expectares, qua hujus exitus brevis mentio fieret. Quod si haud omni dubio majus cui videatur, is tamen est status quaestionis, ut, quum de uno tantum exitu legamus (XVIII:1), nulla causa adsit, propter quam alterum, qui prius jam obtinisset, sumamus, de quo nihil quidquam legitur¹⁾. Si igitur in ipsis aedibus haec omnia enuntiaverit Christus, precesque fuderit, quae cap. XVII leguntur, satis longum adfuit intervallum, quo, etsi nihil extraordinarii alicui contingat vel instet, a laetitia in tristitiam animi humani affectus transire possit.

Deinde si inspiciantur Mt. XXVI:30-35 (c. l. p. Mr. XIV:26-31), aptus iis inesse apparet transitus, quo sensim in tristitiam rursus inciderit Christus²⁾. Etenim si Mt. XXVI:31 initium cum s. 30 comparatur, manifestum fit, seqq. s. 31-35 ita informari, ac si in via dicta sint, quae ad hortum Gethsemaniticum ducebat³⁾. Ss. 31, 32 autem cum bonae spei

1) Cacterum cf. infra § 3.

2) Cf. v. Oosterzee, l. l. III. l. p. 230.

3) Cui sententiae non obest, duplicem nunc assumendam esse Petri

atque laetitiae sensu jam conjuncta invenitur instantis doloris conscientia. Mox vero (ss. 33-35) vana Petri caeterorumque discipulorum dicta, quibus Christo fideles se fore polliciti sunt, majorem etiam Christi in animo excitare debuerunt tristitiam. Post haec vero ea demum leguntur, quae s. 38 habentur. Haud *subita* igitur animi commutatio fuisse narratur, quam subierit Christus¹⁾.

Praeterea saepius observatum est²⁾, nullam prorsus difficultatem psychologicam parere, si Christus in ejus-

q. d. "abnegationis" praecuntiationem, quarum prior Jo. XIII: 36—38 et Luc. XXII: 31—34, posterior Mt. XXVI: 33—35 (c. l. p. e Mr.) narratur. Quod, quum, in se spectatum, jam nihil habeat absurdum (v. O. l. l. p. 226), melius etiam explicatur, si attendimus ad discrimen inter utrumque, quod huc pertinet, Christi cum discipulis colloquium. Scilicet apud Johannem et Lucam de uno Petro tantum, apud Matthaeum et Mr. contra primum de omnibus, deinde demum peculiariter de Petro sermo est, qui omnium nomine Christo respondebat. Unde facile intelligitur, quare ea quoque, quae de Petro ante jam dixerat, nunc (sed magis definite: Mr. XIV: 30) repetierit Christus. Praeterea observetur, Lucam h. l. non cum caeteris Synopticis, sed cum Johanne facere, nec mirum esse, si alter Evangelistarum priorem, posteriorem alter narraverit Christi de eadem re vaticinationem.

1) Ne tamen quis putet, me ex solis his discipulorum responsis tristitiae indolem et gradum explicare velle, quam in horto expertus esse narratur Christus. Tantummodo ostendere volui, haud opus esse, ut, si tantum Synopticorum, tum Johannis veras habere velis relationes, subita prorsus animi Christi conditionis statuatur commutatio, qua a summae laetitiae culmine in gravissimum dolorem inciderit.

2) Cf. Paré l. l. p. 103 sq.; v. Oosterzee l. l. III. l. p. 193. Vidd. etiam, quae monuerunt Rhiem et v. d. Willigen, 't *Lijden v. Jezus in Gethsem.* in opp. Soc. Hag. 1831; Lücke l. l. II. p. 695 sq.; Meijer, in *Joh.* p. 239 sq.; Tholuck l. l. p. 304 sq., et in *Joh.* 6^e Aufl. p. 358 sq.; Ebrard, *Kr. d. E. G.* p. 531 sq. et Lange, *L. J.* II. 3. p. 1436 sqq.

modi, qua tunc versatus fuerit, conditione modo supra dolorem se extulisse legatur, modo, quin brevi post, tanquam dolore pressus occurrat. Si igitur verum hominem Eum habemus, talis animi Ejus commutatio haud mira nobis videri potest.

Si autem quaerimus, quare animi dolorem illum non commemoraverit Johannes, fortasse causa in promptu est, si fusa ejus mentio, a Synopticis facta ¹⁾ cum noto Evangelii Joh. comparetur consilio, ab ipso scriptore (XX:31) indicato. Ea nempe, quae in horto Gethsemanitico Christo contigerint, minus apta sunt ad comprobandum, Jesum esse Dei Filium, quippe qui h. l. magis ut *ἄνθρωπος*, quam ut *θεός* occurrat. Praeterea verum quidem est, Johannem c. XII:27 itidem memorasse angorem, in quem inciderit Christus. Quod tamen si nobis objiciatur ²⁾, respondemus, hunc cum gloriae documento conjungi, quae Christo contigerit (s. 28); ita ut haud dubium sit, quin vox illa coelestis — non angor — praecipua causa fuerit, propter quam hunc quoque rece-

1) Straussio minime damus, inter Matthaeum (cum quo facit Mr.) et Lucam, quod ad historiam perpassionum Christi, quas in horto Gethsemanitico pertulerit, tantum esse discrimen, ut Johannes, etsi eam praeterire voluisset, coactus tamen fuisset, ut Synopticorum alterutrum corrigeret. Discrimen enim, quod spectatur, non tanti momenti est, ut tolli nequeat. Neque Johannis fuit pensum, ut corrigeret, quae hic illic minus accurate narrarint Synoptici.

2) De mira enim nonnullorum sententia non est, quod dicamus, ex qua narrationis, XII:27 sqq. memoratae, origo vel e male intellecta doloris Christi, in horto quem tulit, traditione Synoptica repetenda esset, vel e confusione existisset, qua tum montis gloriae, tum horti Gethsemanitici conjunctae s. potius commixtae fuissent historiae! Quam posteriorem sententiam Strauss quoque fovet; qui cum hac priorem exposuit: l. l. II. p. 444 sqq.

perit Johannes. Nec dicat quis, nostro quoque loco aliquid memorare potuisse Johannem, quod Christi conjunctionem cum Deo testetur — Angeli nempe apparitionem, cujus mentio fit Luc. XXII: 43. Apparet enim, hanc non acquirandam esse voci coelesti, quae obtinuisse legitur cap. XII. Angelus enim, qui in horto Christo adfuerit, Hujus potius testatur debilitatem, quam potentiam et magnitudinem. Vox coelestis vero publica Ejus probatio divina erat coram toto populo.

Attamen non nimium haec omnia urgere volo, quasi haud aliae causae esse potuerint, cur hanc historiae partem Johannes praeterierit. Saepius latere nos posse ea, quae Evangelistas incitarint, ut haec aliave omitterent, supra jam monuimus. *Hoc* constat, nihil adesse, ex quo conjicere quis possit, *eam* ob causam doloris Christi, quem in horto Gethsemanitico pertulit, historiam praeteriisse Johannem, quod vidisset, cum Christi, quam dedit, descriptione, *eam* pugnare. Quod si ita sit, nihil quidquam ex hac re adversus sermonum atque precum authenticam effici potest.

§ 3.

*De quorundam Christi dictorum, his in sermonibus obvi-
orum, cum aliis Ejus dictis, ex Synopticorum nar-
ratione alia opportunitate editis, similitudine.*

a. De c. XIV: 30, 31, coll. Mt. XXVI: 45^b, 46.

Superest, ut de iis agamus dubitationibus, quae nonnulla Christi dicta spectant, in his sermonibus obvia, quorum

argumentum peculiari ratione cum aliis quibusdam Ejus dictis convenit, a *Synopticis* annotatis, sed ex horum narratione alia opportunitate editis. Unde conjicitur, scriptorem nostrum dicta illa e traditione Synoptica in suum usum convertisse, atque alieno loco narrationibus suis inseruisse. In quibus primum ea tractanda sunt, quae de c. XIV:30, 31 sermonum Jesu authenticæ adversantes monuerunt.

Statuerat jam Bertholdt, Johannem ante editum Evangelium, suum in commodum, scripto mandasse Jesu orationes. Idemque sententiam protulerat¹⁾, ex qua h. l. finis reperiretur orationis cujusdam, cui aliam, quae c. XV, XVI legitur, in scribendo Evangelio e chartis suis addidisset Johannes. Unde explicanda sit verborum, quae XIV:31 in fine habentur, commemoratio, quippe quae, licet parvi momenti sint, e chartis suis transscripsisset Apostolus. Quod nobis haud ita videri, ex ante dictis de Bertholdti sententia sponte intelligitur²⁾.

Deinde Bretschneider³⁾, longe alia ratione rem explicare conatus, statuit, totam s. 31 consulto addidisse scriptorem, ut ostenderet, *sponte* inimicis suis se tradidisse, nec invitum captum fuisse Jesum⁴⁾. Hoc vero consilium, Johanne minime indignum, hujus dicti authenticæ non adversatur. Contra si ficta fuissent haec verba, nonne potius ante XVIII:1 ea collocasset

1) Cf. *Eint.* III. p. 1305.

2) Cf. quae supra diximus S. II. § 1.

3) Cf. *Prob.* p. 16, coll. 138.

4) Scil. Bretschn. recte totam sect. *unam* periodum grammaticam efficere credit.

scriptor, cui loco primo obtutu multo melius convenire videntur? ¹⁾

Sed alia, hunc locum spectantia, Strauss invenit ²⁾, quae h. l. imprimis dijudicanda sunt. Hic nempe ad insignem hujus dicti cum Mt. XXVI:45^b, 46 (Mr. XIV:41^b, 42) similitudinem provocavit, eamque inde repetendam esse censet, quod in Synoptica traditione se legere meminerit scriptor noster: *ἤγγικεν ἡ ἄρα, κ.τ.λ.* Quum vero orationis contextum oblitus fuerit, quo in Synopticorum narratione haec occurrant, eadem verba in memoriam illi redierunt, ubi Christi dictum (verum an fictum?) consignabat: *ἔρχεται ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων.* Scilicet ipsius mali principii (*τοῦ τοῦ κόσμου ἄρχοντος*) typus erat ὁ παραδιδούς, cujus mentio fit apud Matth. et Mr. (ll. ll.) Caeterum vocabulum *ἐντεῦθεν* addidit noster, quoniam non statim proditori obviam ivit Christus, (sicut in Synoptica narratione Hic fecisse traditur, sed prius in hortum Gethsemaniticum cum discipulis profecturus erat. En igitur causam, cur hoc loco in mediis Christi sermonibus hoc dictum inveniatur! Subtilis sane Straussii conjectura est, sed mera tamen, imo mira hypothesis. Contra quam jure attulit Lücke ³⁾, vix explicari posse, quomodo fictor, qui ejusmodi dictum, e Synopticis sumtum, hunc in locum transmiserit, mox in tradendis fingendisve Jesu verbis pergat, acsi nihil iis praeposuisset, quo contextus orationis inconcinnus esse primo saltem obtutu videatur. Si usquam,

1) Cf. Bleek l. l. p. 239.

2) Cf. L. J. I. p. 687 sqq.

3) Cf. l. l. II. p. 625.

hoc sane loco, inconcinnitas illa veritatis est testimonium¹⁾. Praeterea quam contorta Straussii est conjectura, ex qua mirae sane cogitationum confusioi creditus esse debuerit scriptor noster!

Neque hanc sententiam probavit Weisse, qui aliam proposuit conjecturam²⁾. Ex ejus scilicet opinione, *ultima* haec fere fuerunt verba, quae Christum enunti-
antem audiverunt discipuli; quare penitus memoriae eorum infixae ea fuisse, haud mirum videri possit. Ex quorum ore cum in varia transierint Evangelia, discrimen tamen ortum esse potuerit de opportunitate, qua Christus ea locutus fuerit. Utrum igitur ad finem coe-
nae, an vero ad finem commorationis in horto pertineant, prorsus decerni non amplius possit. Attamen Weisse pronus est in priorem sententiam amplectendam. Nam, ut supra³⁾ vidimus, Evangelium Joh. ortum esse statuit e sermonibus, a Johanne consignatis, quos in unum conjunxerit notisque historicis explicantibus instruxerit alius, nobis ignotus. Unde simul appareat, quare locus XIV:31 in mediis occurrat Jesu sermonibus. Quum nempe c. XV—XVII ex *Johannis* consilio non post c. XIV ponenda fuerint, alter ille, quem Evangelii editorem vocare liceat, inepto loco capp. illa inseruit, non videns, c. XIV omnium sermonum finem efficere.

Jam vero quomodo idem, qui historicas Evangelii partes addidit, adeo stultus fuisset, ut non vidisset c.

1) Cf. Bleek l. l. p. 236.

2) Cf. l. l. II. p. 284.

3) Cf. Sect. I. § 2.

XIV:31 non convenire cum XV:1? Si vero viderit, utrumque sane sermonem melius conjungere studuisset¹⁾. Caeterum patet, cum hac Weissii sententia nondum omnem cadere ultimorum sermonum Jesu authenticam. Sed infra nobis apparebit, ad nexum inter c. XIV et XV explicandum, conjectura illa non opus esse. Nunc vero hoc unum quoque adversus eam afferre liceat. Dixit Weisse, haec Christi verba, quippe ultima fere, quibus allocutus fuerit discipulos, facile ex eorum ore in varia transire potuisse Evangelia. Sed quaenam igitur verba ita ab uno ad alterum transiisse censenda sunt? Si bini loci conferantur: Mt. XXVI:46 et Joh. XIV:31, apparet, convenientiam imprimis adesse in surgendi atque exeundi admonitione. Sed haec sola sane parum momenti habet. Christus igitur ei addere debuit nonnulla, quibus surgendi admonitio momentum acceperit. Sed et secundum utrumque Evangelistam revera talia addidit. *Quaenam* autem addiderit, quaeritur, nam hac ipsa de re differunt Evangelistae. Jam vero quomodo cogitari potest, dictum quoddam ita propagatum fuisse, ut illa tantummodo conservata sit ejus pars, quae, in se spectata, nihil fere momenti habeat, dum haec, in spectando rei versatur, perierit, ita ut varia ratione suppleri debuerit? Sane hac ipsa observatione magis etiam docemur, binos illos locos non idem dictum, sed duo diversa Christi enuntiata continere.

Denique Baurum audiamus, qui²⁾, quoad rei summam, ad Straussii redit sententiam. At una ta-

1) Cf. Lücke l. l. II. p. 625.

2) Cf. Kann. *Evv.* p. 265 sq.

men h. l. non adesse non potest inter utrumque discriminis nota. Strauss enim statuerat, *fortuito* scriptori nostro in memoriam rediisse verba Synoptica. Apud Baurum vero omnia *consulto* fiunt. Itaque hoc etiam loco *consilium* esse debuit Evangelistae, propter quod Christi dictum XIV:31 ex orationis contextu, quo in Synoptica narratione occurrit, in medios, quos refert (i. e. fingit), Christi sermones trajecerit. Quodnam igitur hoc consilium fuit? — Scilicet: — ut parvum tantum indicaretur intervallum, quod in orationis Christi obtinuerit cursu! ¹⁾ Rogas, quomodo intelligendum hoc sit? Respondet Baur, tantummodo explicari id posse ex locorum Synopticorum collatione, vel si statuas, hos ipsos ante oculos habuisse Evangelistam ²⁾. Itaque jam inter utramque explicandi viam eligas! Quod opus meas vires superare fateor. Nam Bauri verborum vim non intelligo.

Post tantam conjecturarum copiam, quae multo difficiliorem reddunt quaestionem, conclusio, ni fallor, ad manus est, qua statuatur, Johannem non nisi vera tradidisse Christi verba, quae primum in coena, postea (inde a XV:1), quum surrexerat, locutus sit. Saepius enim fit, ut colloquentes, antequam ex loco quodam abeant, stantes colloquium renouent ³⁾. Saepius quoque

1) „(Jene Worte) stehen nur als Zeichen der Pause, welche man sich hier denken soll.“

2) „(Dass) sich (dieses) nur aus der Vergleichung der synoptischen Stellen begreifen lässt, oder aus der Voraussetzung, dass der Evangelist diese selbst vor Augen gehabt hat.“

3) Cf. Lücke l. modo laud.

obtinet, ut doctor, discipulos varia monens, hac in re pergat, licet a coena jam surrexerit. Quum igitur caeteroquin accurate narrare soleat Johannes, ipse locus XIV:31 et XV:1 pro dictorum authenticia multo magis, quam *adversus* eam testari videtur. Vidimus enim, causas, propter quas XIV:31 finxisset Johannes, hanc ejus agendi rationem minime explicare.

Attamen Wettio concedendum esse credo, ad h. l. annotanti, inter cap. XIV et XV obtinere hiatum, cuius in obscuro latet origo¹⁾. Nam inveniri quidem potest nexus idearum, e quo vinculum inter cap. XIV:31 et XV:1 explicetur. Interna enim cum Christo communicatio externa ab Eo separationi opposita est. Quare, ubi de *hac* quis cogitet (XIV:27, 30), *illam* in mentem ei venire, facile intelligitur²⁾. Sed probabilius tamen mihi quoque videtur, h. l. ex historia aliquid omissum esse, quod, Johannis ex consilio scribendi, commemoratione minus dignum ei visum sit. Quicquid nempe hac de re statuendum sit, *hoc* certe omisisse censendus est Johannes: surrexisse convivas. Facile igitur et aliud quid omittere potuit, quod aptius inserta sint verba XV:1 sqq.³⁾. Sed quicquid sit,

1) Cf. in Joh. (*Exeg. Handb.*) 3^e Aufl. p. 174.

2) Lücke l. l. II. p. 626.

3) Multum disputatum est de quaestione, quid Christum impulerit, ut vitis adhiberet imaginem. Varias sententias vid. apud Seiffarth, *Spezialcharacteristik der Joh. Schriften* 1823. p. 222 sq., et Lückium ad h. l., qui ipse omnes eas rejicit, statuens, per ipsam tantum *cogitationem* ad ejus *imaginem* adhibendam ductum fuisse Christum. Quod omnino fieri potuit. Si vero coena Johannea haberi possit coena Paschalis, alia sententia addenda est. Ex qua nempe h. l. inserendus sit vini

satis jam apparuit, ex loco, quem diximus, XIV: 30, 31, cum contexta oratione collato, nihil derivari posse, quo cogeremur, confusio*n*i cum loco Synoptico ejus originem tribuere. Unde concludimus, cum nec contra universam ultimorum Jesu sermonum authenticam testari, sed multo magis veritatis huic praebere testimonium.

b. De c. XV: 18—XVI: 4, coll. Mt. X: 16 sqq.
et Luc. XII: 4—12.

Postrema difficultas, quae Evangelii Joh. cum Synopticis vinculum spectat, verbis XVI: 4^b inest, (collatis praecedentibus, inde a c. XV: 18). Quo loco Christus affirmat, se de iis, quae praecedunt, cum discipulis non collocutum fuisse ἐξ ἀρχῆς. Qua voce quid aliud spectari potuit, nisi consuetudinis Ejus, quam cum iis habuerat, initium? Hujus vero agendi rationis causam addit Jesus his verbis: ὅτι μεθ' ὑμῶν ἦμην. Quibus vix aliud quid indicare potuit, nisi hoc: earum rerum, de

poculi usus, quod post Paschatis hymnum posteriorem s. finalem (Ps. CXV—CXVIII) decantatum (cf. Lundius, *Heiligdommen* caet. II. p. 703 et v. O. L. v. J. III. l. p. 188) bibere solebant convivae. Scilicet si verum sit, utrumque hymnum Paschalem, priorem et posteriorem, *stantes* cecinisse Judaeos, (quod officio ex Lundii libro laud. II. p. 703—705, qui ex Maimonide aliisque, quorum locos affert, haec se hausisse profitetur), — non ante XIV: 31, sed hoc ipso l. inserenda est haec cerimonia. Deinde, si in ea celebranda pater familias revera elocutus sit verba, quae idem huc retulit Lundius (p. 705), vix aptius quid inveniri potest, quod Christi verbis XV: 1 sqq. praecesserit. Verba nempe, quae spectamus, sollemnia, ex Lundii versione Belgica, haec sunt: „Geloofst zijt Gij, o Heere, onze Godt! Gij Koning der Wereld! Gij, die de vrucht des Wijnstoks hebt geschaapen!”

quibus modo dixerat, commemoratione hucusque discipulis nondum opus fuisse, quoniam satis etiam nunc supererat temporis, quo cum illis communicare eas posset. Ex quibus jure efficitur, non tantum non in initio, sed non nisi prope finem consuetudinis, qua cum discipulis junctus erat, de illis rerum argumentis Christum cum iis collocutum fuisse. Unde tamen nondum sequitur, — (quod omnino tenendum est) — *primam hanc vicem* esse debuisse, qua de his disseruerit ¹⁾. Modo caeterae, quae inveniuntur, vices haud *diu* ante Ejus mortem obtinuerint. Cujus observationis mox apparebit momentum.

Jam vero eorum, quae Christus non nisi prope vitae suae finem cum discipulis se communicasse affirmavit, magna pars (XV:18—XVI:3; cf. et XVI:33) magis minusve cum iis convenit, quae duobus item Synopticorum locis memorantur, quibus, ut videtur, de ultimis vitae Christi diebus non agitur. Sunt autem Mt. X:16 sqq. et Luc. XII:4—12 ²⁾. Praeterea Mt. XXIV:9, Mr. XIII:9, 11, 13 et Luc. XXI:12—18 similia quaedam reperiuntur, quae tamen et ipsa ad vitae Jesu ultimum pertinent tempus, neque igitur difficultatem pariunt.

Ad hanc autem quaestionem solvendam Meijer ³⁾,

1) Cf. Lücke ad h. l.

2) Huc enim non referenda esse, quae habentur: Mt. V:10—12, coll. Luc. VI:22, 23, nec Mt. IX:15, ex ipsis his ll. facile apparet.

3) Qui cf. ad Jo. XVI:4. Alios difficultatis tollendae conatus vid. apud Kuinoelium et Lückium ad h. l. Quibus vero addenda sunt Chrysostomi verba, *Homil.* ed. 1697 I. p. 493, de cujus sententia, ab aliis quoque recepta, mox dicemus. Caetera, quae ex ipsa verborum Christi indole allata sunt, auxilium non ferre, sponte apparet.

Euthymio Zigabeno assentiens, statuit, nostro loco Johanneo ἔτερον et Φαβερῶτερον praedixisse Christum, quam ea, quae Mt. X leguntur. Itidem Chrysostomus jam monuerat, Christum apud Mt. de discipulorum morte violenta (cf. Jo. XVI:2) non dixisse, neque indicasse, ipsos Judaeos persecuturos eos esse. Si vero conferantur Mt. X:17 et Luc. XII:11, patet, omnino de Judaeis illic dici; quorum Joh. XV et XVI haud luculentior fit mentio, qua indicavit Christus, ipsos eos, non gentes fore, qui discipulos persecuturi essent. Nec discrimen inter mortem et verberationes adeo pressit Christus, ut verba Ejus Joh. XVI:4^b ταῦτα δὲ κ. τ. λ. tantummodo ad s. 2^b referri posse mihi videantur. Praeterea nonne Mt. X:28 et Luc. XII:4 item mors violenta spectatur? Frustra igitur haec omnia ad tollendam difficultatem afferuntur.

Sed aliam viam inierunt Kuinoel, Lücke, alii. Ex quorum nempe sententia, ad Matthaei morem provocandum est, secundum quem sermonum Jesu, quos refert, haud ubivis teneat ordinem chronologicum. Neque ejus, nec Lucae quoque consilium fuisse, ut temporis ubique rationem haberent, e diligenti Synopticorum contemplatione et comparatione apparet¹⁾. Quod autem ad nostram causam attinet, saepius jam observatum est, Mt. X:16 v. 17 sqq. itineri minus convenire, quod satis diu ante Christi mortem jam susceperunt discipuli (cf. ss. 1-15), ex quo vero incolumes redierunt. Mitter enim videtur, Christum jam ante primum eorum iter talia cum iis communicasse, quae ad futuras

1) Cf. Ebrard, *K. d. E. G.* p. 86 sqq., 115 sqq.

persecutiones spectent, quas post Ejus abitum demum paterentur. Inprimis vero attendendum est, Marcum et Lucam ea, quae Mt. X:16 sqq. reperiuntur, in Evangeliiis suis non eodem loco memorasse, quo iter discipulorum enarrent (Mr. VI:7-11; Luc. IX:1-5). Lucas contra nonnulla eorum (aliis, quae apud Matth. c. XII:31, 32 demum inveniuntur, permixta,) postea, c. XII:4-12, retulit. Nec negligendum est, Marcum, qui magis acoluthistica ratione scripsisse videtur¹⁾, eorum quae hîc spectantur, nihil memorasse, nisi quae c. XIII, i. e. prope vitae Christi finem, ab eo referuntur. E quibus jure efficitur, id, quod de universa Matthaei Lucaeque scribendi ratione statuendum esse videtur, his item obtinere locis, nempe *argumenti* potius, quam *temporis* rationem ab iis habitam esse.

Sed quomodo cum Matthaei Lucaeque fide historica, talis, quam in scribendo secuti sint, congruit consuetudo? Ex eorum consilio haec quoque difficultas tolli posse mihi videtur. Ejusmodi enim utriusque, de quo dicimus, Evangelii est habitus, ut acoluthiae defectus non anxie tegatur, sed cuique, in librorum compositionem inquirenti, in oculos incurrat. Ita et Mt. XI:1 Christi orationem non excipiunt verba: *καὶ ταῦτα λέγων ὁ Ἰησοῦς* v. similia, sed: *καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσαν τοῖς δώδεκα μαθηταῖς αὐτοῦ*. Formulâ autem: *καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσε . . .* saepius utitur Matthaeus. Cff. VII:28, XIII:53, XIX:1, XXVI:1. Qui loci si inspiciantur, apparet, in *primo* tantum

1) Cf. Ebrard, l. l. p. 98 sqq.

sequentia mox excipere debuisse praecedentem sermonem. (Cf. VIII:1). In caeteris vero inter sermonis praecedentis finem atque sequentia, quae narrantur quippe facta ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς (λέγειν), aliquod certe statuentum est temporis intervallum ¹⁾. Quod nostro quoque loco obtinere credo. Quum igitur praeterea XI:1 non diserte ad ea, quae *nunc* dixerat Christus, respiciatur, sed universe de τῷ διατάσσειν τοῖς μαθηταῖς dicatur, e loco laud. XI:1 non effici posse videtur, *omnia* praecedentia ad eandem hanc opportunitatem referenda esse. Similiter etiam Lucas c. XII:13 sqq. statim de alio argumento agit, quod cum praecedentibus non arcte cohaeret, neque ab ipso Evangelista cum iis conjunctum informatur.

Jam vero si inter se comparentur Mt. X:16 sqq. et Joh. XIII:13-20, XV:18-XVI:3, 33, ea, quae inter utrumque locum obtinet, similitudo, in oculos non incurrere non potest. Quid igitur? Num eo nos ducet haec convenientia, ut utramque orationem, Synopticorum et Johanneam, ad eandem opportunitatem referamus? Si ita statuendum esset, damnum inde capturam esse alterutrius authenticam, non credo. Facile enim ea, quae Matthaei Lucaeque II. II. habentur, cum ultimis orationibus Johanneis in unum sermonem conjungi possent. Quum tamen antea viderimus, Johannem c. XVI:4^b non docere, *primam* hanc vicem fuisse, qua de rebus praeced. disseruerit Christus, — modo *divi* ante Ejus mortem similis habita non sit oratio, — fieri etiam potest, ut ea, quae Mt. X et Luc. XII leguntur, aliâ, quae brevi ante ultimum Pascha fuerit, opportunitate dicta sint. Non

¹⁾ Copula *immediata* non est; cf. Ebrard, l. l. p. 90 coll. 88.

tanta enim utriusque Synopticorum loci cum sermonum Johanneorum parte laudata est similitudo, ut propter eam *solum* illorum narratio ad eandem atque Johannea opportunitatem referri *debeat*. Quid enim naturae magis est consentaneum, quam ut de eodem argumento bis disserens quidam, utrâque vice similia nonnulla enuntiet? Modo ne tam multa haec sint, nec tanta eorum sit convenientia, ut de diversa opportunitate cogitare, absurdum esse appareat; quod vero in hanc nostram rem non cadit.

Praeterea indicia adesse mihi videntur, quibus probabilius reddatur, verba: Mt. X:16 sqq. ad eandem opportunitatem pertinere atque ea, quae c. XXIV habentur. Cujus nempe capitis s. 9 dictum invenitur, quod brevem fere summam continet eorum, quae de futura discipulorum sorte c. X leguntur. Ex hoc autem conijcimus, Matthaeum c. XXIV ea forsitan praeteriisse, quae hac quidem opportunitate enuntiata, sed c. X jam notata erant, unde sponte eo ductus esse potuit Evangelista, ut c. XXIV, quo, si temporis rationem habere voluisset, haec ponenda fuissent, brevem tantum eorum summam repeteret. Cujus sententiae Marci Lucaeque lib. pp. praesidium inesse mihi videtur. Lucas nempe, qui XXI:5 sqq. eandem atque Mt. XXIV spectare videtur opportunitatem, in cap. laud. (XXI) ss. 12-18 varia item notavit, cum iis, quae XII:4-12 leguntur, magis minusve conjuncta. Quin imo Marcus, — qui, ut vidimus, accuratiorem temporis rationem habet, et in priore Evangelii sui parte nulla huc referenda notavit, — jam c. XIII (c. Mt. XXIV item parall.) ss. 9, 11, 13 quaedam, huc spectantia, refert. Unde con-

dicimus, Christum hac opportunitate, paululum ante Paschatis festum, quo mortuus est, ea item enuntiasse, quae Mt. X:16 sqq. et Luc. XII:4-12 reperiuntur.

Quicquid vero hac de re statuere velis, constat, loco Joh. XVI:4^b non obesse Synopticos.

Qua dubitatione soluta, simul ad finem pervenimus disquisitionis, quae dubia spectat, ex Synopticorum collatione adversus ultimos Jesu sermones, a Johanne notatos, allata.

CAPUT II.

DE DUBITATIONIBUS, EX HORUM SERMONUM CUM IPSIS
SCRIPTIS JOHANNIS CONJUNCTIONE PETITIS.

Pergendum jam nobis est ad ea dubia refellenda, quae ex ultimarum Jesu orationum cum ipsis scriptis Johanneis conjunctione oriuntur. Ejusmodi nempe spectamus dubitationes, quae ex collatis ultimis Jesu sermonibus cum Evangelii compositione et ratione interna ducuntur. In qua disceptatione itidem de primae Epistolae Johanneae cum his sermonibus vinculo agendum erit.

§ 1.

*De Montanismi indiciis, quae his sermonibus
inesse dicuntur.*

Primum de Montanismi indiciis agendum est, quae his sermonibus inesse dicuntur. Ne vero quis miretur,

de Montanismo se legere, ubi de scriptis Johanneis dicendum esse indicavimus. Si enim Montanismi speciem prae se ferrent hi sermones, non tantum caderet eorum authenticitas, sed itidem eorum annotatio Johannea rejicienda esset. Haec igitur quaestio cum Evangelii Joh. authenticitas, consilio et pretio arctissime juncta est.

Montanismi cum Ev. Joh. conjunctionem inprimis exposuit Schwegler¹⁾, cui assensus est Baur²⁾. Attamen rite tenendum est, Schweglerum non a manu Montanistica profectum habere quartum Evangelium. Nihil enim hujus libri indoles a Montanismo differre ei videtur, quam ut illud statui posset. Quin imo utrumque sibi invicem quam maxime oppositum habet³⁾. Sed potius communis fons utrique fuerit, unde et Ev. Joh. et Montanismus separatim orta sint.

Montanismi autem, quae spectantur, indicia cerni dicuntur in doctrina de τῷ πνεύματι ἁγίῳ, τῷ παρακλήτῳ, epp. XIV—XVI tradita. Ex Schwegleri nempe sententia⁴⁾, Judaismus, in V. T. fundatus, *duadem* q. d. agnoscebat metaphysicam: Deum et τὸ πνεῦμα; Judaismus Alexandrinus s. Hellenismus item *duadem* statuebat: Deum et τὸν λόγον. Quae binae sententiae in

1) Cf. *Der Montanism.* caet. p. 183 sqq. et *Napl. Zlter* II. p. 338 sqq., 368 sqq.

2) Cf. *Kann. Evv.* caet. p. 375 et *Wesen des Montanism.* caet., *Theol. Jahrb.* 1851. IV. p. 538 sqq.

3) "Beide Richtungen gehören zu den stärksten Gegensätzen, die nur immer innerhalb des christlichen Namens hervortreten können." Cf. *Montan.* p. 189, ubi hujus discriminis indoles pluribus indicatur. Vid. et *Napl. Zlter* II. p. 368.

4) Cf. *Napl. Zlter* II. p. 341 sqq., et *Montan.* p. 152 sqq.

Ecclesiam Christianam translatae fuerint, ita ut ex utraque *duode* conjunctâ *trias* orta sit, eaque *hypostatica*. Cujus etsi jam reperiantur vestigia apud Justinum M. aliosque, nihilominus tamen Montanismus veri nominis auctor ejus habendus est. Quam Schwegleri de hujus dogmatis origine sententiam oppugnare, non est hujus loci. Meliore sane jure pergit, ubi animadvertit, hanc triadem metaphysicam¹⁾ in Montanistarum systemate tribus divinae patefactionis respondere gradibus s. periodis²⁾. V. nempe Testamentum iis est ipsius *Dei* periodus, Novum τοῦ λόγου, Montanismus τοῦ παράκλητου³⁾. Idem deinde et fuerit Montanismus, qui hunc Paracletum, ne major Christi prae Eo dignitas negligetur, τῷ λόγῳ subordinaverit⁴⁾. Ex Montanistarum nempe doctrina, eadem ratione, qua ἐκ τοῦ πατρὸς exiit ὁ λόγος, τὸ πνεῦμα item exiit ἐκ τοῦ λόγου⁵⁾; in quo (λόγῳ) ante Christi mortem τὸ πνεῦμα latuerat, quippe quod tunc demum προφορικῶν evaserit (Jo. VII. 39^b)⁶⁾.

1) *Wesenstrias*.

2) *Offenbarungstrias, Periodentrias*.

3) Cf. *Montan.* p. 40.

4) „(Der) Montanismus der . . . diesen Paraklet, um die höhere Dignität Christi nicht zu gefährden, in ein subordinirtes Verhältniss zum Logos setzte.“ Cf. *Napl. Ztt.* II. p. 343.

5) Cf. *Montan.* p. 43 sqq.

6) Cf. *Napl. Ztt.* II. p. 369; *Montan.* p. 187 Not. 93. Attendendum est, Schweglerum, ubi de subordinatione loquitur, eam imprimis spectare hypostasium conjunctionem, qua altera ex altera *originem duxerit*, ita ut hypostasis subordinata *atenus* tantam minor habenda sit eâ, cui subordinata sit, quatenus ex hac *nata sit* illa. Immerito autem Tertuliano duas sententias sibi invicem contrarias tribuit Schwegler (*Montan.*

Jam vero contendit Schwegler¹⁾, hanc τοῦ πατρὸς κλήτου τῷ λόγῳ subordinationem apud nullum quidem nec N. T. scriptorem, nec Patrem Ecclesiae, ante Montanismum qui floruit, nisi apud solum Johannem occurrere, quippe qui primus magis definita ratione de τοῦ λόγου et τοῦ πνεύματος conjunctione metaphysica locutus fuerit²⁾.

Sed ex ejusmodi Johannem inter et Montanismum, si adesset, similitudine, nondum sequeretur, Ev. quartum spurium esse. Saepius enim obtinet, ut scriptum quoddam doctrinam contineat, quae diu post ab aliis

p. 41 sqq. coll. 145 sqq.), ubi memorat, eum statuisse τοῦ λόγου τῷ πατρὶ tum *coordinationem* tum *subordinationem*. Si enim Tertulliani inspiciantur loci, ab ipso Schwegl. laudd., illum rite distinxisse apparet inter τῷ λόγῳ τῷ πατρὶ ἁμοούσιον, cujus ratione habita Illam Huic *coordinationem* et τοῦ λόγου ἐκ τοῦ πατρὸς *originem*, quae si spectetur, Ille Huic *subordinandus* est. Utraque vero haec τοῦ λόγου cum τῷ πατρὶ conjunctio secum invicem non pugnat. Attamen concedo, paucas locis laudd. inesse dicendi formulas, quae *ejusmodi* doctrinae speciem prae se ferant, quam docuit c. c. Origenes; de qua cf. Hagenbach, *Dogm.gsch.* 2^o Aufl. I. p. 111 coll. p. 107.

1) Cf. *Montan.* p. 183 sqq.; 187 Not. 93.

2) Subordinationem τοῦ λόγου τῷ πατρὶ quoque in Ev. Joh. invenit Schwegl.; quae vero quam apud eos quoque reperiatur Apologetas, qui ante Montanismum scripserunt, h. l. nullam difficultatem parit. Ex ultimis autem Christi sermonibus laudavit cap. XVII: 4 et XIV: 28 (fine), quippe τοῦ λόγου τῷ πατρὶ subordinationem docentes (*Montan.* p. 185. Not. 89), qui tamen loci huc minus referendi esse mihi videntur. Primo enim loco non spectant τὸν λόγον ἄσαρκον sed τὸν θεάνθρωπον, ut legatum divinum, qui hac in terra Patris perfecerat opus. Ad quem mox rediturus, a discipulis suis petebat, ut Ejus causâ de reditu Ejus gauderent, quippe quo Patris gloriam atque beatitatem adepturus esset, quarum ratione habita, nunc, quamdiu in terra versabatur, Patre minor erat; cui vero, coelestis gloriae si et Ipse particeps redderetur, hoc nomine similis foret.

demum recipiatur. Nec absurdum esset, Christum tradidisse doctrinam, quae in solo Ev. Joh. conservata esset, atque primis temporibus, quibus alia erant, quorum momentum magis clare apparuerit, non statim Patrum in scriptis tractari coepisset. Quod videns ipse Schwegler, alia item attulit, quae huic dubitationi majorem vim addant. Haec vero, quum ultimos non spectent sermones Johanneos, ad nostram minus pertinent disputationem¹⁾. Sed nostrum est, ut dijudicemus, utrum Johannem inter et Montanismum revera adsit illa convenientia, quam inter utrumque obtinere statuit Schwegler, quaeque dubitationis ejus velut efficit fundamentum.

Contendens igitur Schwegler²⁾, in his sermonibus Johanneis τοῦ πνεύματος τῷ λόγῳ subordinationem doceri³⁾, hujus sententiae praesidium in primis ex eo petit, quod Spiritus S. patefactio Christi doctrinae hinc subjiatur⁴⁾; quod appareat ex XVI:13, XV:26, XIV:26, quibus locis, ut opinatur, omnis Christi doctrinae amplificatio, a Spiritu S. tradenda, excluditur⁵⁾.

Sed Paraleti patefactionem *ea ratione* Christi doctrinae subjiere, cum ipsis Montanismi principiis pugnat. Quare enim, secundum haec principia, *conti-*

1) Vide ea apud Schwegl. II. II. Sed eff. in contrariam partem Ebrard, *Kr. d. E. G.* p. 921 sqq.; Lücke, *in Joh.* I. p. 60 sqq. 75, Guericke, *Einl.* p. 298 (Not. 3), 544 sq., 548.

2) Cf. *Montan.* p. 187 Not. 93.

3) *Wesenssubordination.*

4) *Offenbarungssubordination.*

5) "Jeder Gedanke an eine objective Ausbildung und Fortentwicklung des von Christo Gegebenen (wird) abgelehnt."

nua opus erat patefactione supernaturali? Ipsum audiamus Schweglerum: spiritus humani debilitas, qua efficitur, ut omnem simul capere nequeat veritatem, talem postulabat doctrinae salutis patefactionem, quae gradatim procederet¹⁾. Quibus haec addit Tertulliani verba: „Propterea Paracletum (misit) Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum perduceretur disciplina ab illo vicario Domini Spiritu Sancto”²⁾. Itaque Paracleti institutio, ex Montanismi doctrina, novam quidem non conderet regulam fidei³⁾, at ea tamen, quae communicaverat Christus, ad perfectionem perduceret. Jam, eandem si audias Montanismi doctrinam, inprimis quidem ad disciplinam moralem atque doctrinam de Ecclesia, — minus ad fidei doctrinam, proprie sic dictam, — nova haec institutio pertinere⁴⁾. Hoc vero ad nostram quaestionem parum refert. Constat enim, Paracletum, ex Montanismi doctrina, eorum, quae patefecerat Christus, largiturum fuisse *amplificationem*⁵⁾. Quin et alio loco, ab ipso Schwe-

1) „Die Schwäche des menschlichen Geistes, unfähig die volle Wahrheit auf einmal zu fassen, erheischte eine solche in paedagogischer Weise sich vollendende Entfaltung der göttlichen Heilswahrheit.” Cf. *Montan.* p. 18; vid. etiam Montanismi, quam dedit Schwegl., definitio eod. l. p. 15; ut et Schleiermacheri sententia, ab eodem citata et damnata p. 44 sq.

2) *De virgin. vel. l.*

3) Cf. II. Tertulliani apud Schwegl. *Montan.* p. 21.

4) Cf. *Montan.* p. 22 sq.

5) „Eine objective Ausbildung und Fortentwicklung des von Christo Gegebenen.” Cf. I. supra laud. *Montan.* p. 187. Dein p. 21 ea, quae,

glero allato¹⁾, diserte affirmat Tertullianus, Paraclerum
"ea acturum esse, quae nova existimari possint, ut
nunquam retro edita,"²⁾ quod ex ipsis Christi verbis
Joh. XVI:12, 13 se derivasse profitetur¹⁾. Si igitur
eorum, "quae nova existimari possint," in locis Johan-
neis laud. nulla mentio fiat, quomodo tandem de con-
venientia Johannem inter et Montanismum, in illis locis
conspicua, sermo esse potest?

Sed praeterea ipsi, quos Schwegler laudavit, loci
Johannei *minime docent*, nihil novi traditurum fuisse
Spiritus S. Quid? quod modo vidimus, ad ipsum
Johannem et provocasse Tertullianum. Qua in re
summo quidem jure eum egisse censeo. In eo tan-
tum erravit, quod promissa illa ad Montanisticas ex-
hibitis patefactiones, de quibus nunc non amplius no-
tum dicendum est. Ex locis autem, de quibus agimus,
Johanneis effici quidem potest, Spiritûs S., quae disci-
pulis contingeret, institutionem iisdem fundamentis s.
principiis niti, quae posuerat Christus. Caeterum vero
diserte ex iis apparet, non tantum doctrinae Jesu *ex-
plicationem*, sed et ejusdem *amplificationem* Eum da-
turum fuisse. Quod si neges, quaenam inter XIV:25
et 26 remanet oppositio? Nonne illic sibi invicem
opponuntur ea, quae, quamdiu cum discipulis versatus
erat, ipse Christus locutus fuerat, atque ea, quae postea

ex Montanismi doctrina, traderet Paracler, a Schweglero vocantur:
"neue Lehrbestimmungen."

1) Cf. I. I. p. 19.

2) Cf. *De monogamia* 2.

3) Cf. II. laud. *de virg. vel.* 1 et *de monogamia* 2; al.

doceret Spiritus S.? Quin imo vocabuli πάντα usus satis ostendit, hunc esse loci sensum: "Hucusque variis quidem de rebus vobiscum collocutus sum, sed nondum omnia, quae scire vobis opus erit, vobiscum communicare potui, quare omnia illa vos docebit Spiritus S., qui post abitum meum venturus est." Quae interpretatio egregie confirmatur, si attendimus ad XVI: 12¹⁾, ubi causa indicatur, propter quam illa communicare non potuerat ipse Christus, — quae omnia nempe nondum ferre potuissent discipuli. Praeterea, ut ad XIV: 26 redeamus, ex eodem vocabulo πάντα patet, distinguendum esse inter ea, quae doceret Spiritus S., et ipsius Christi verba, quae Ille discipulis in memoriam revocaturus erat. Scilicet non est, quod negem, ad τὸ διδάσκειν πάντα doctrinae Christi *explicationem* quoque pertinere. Ubi enim Spiritus S. *plura* docuit, quam quae docuerat Christus, his tamen, ut fundamento, ea superstruxit; unde sequitur, hoc ipsum quoque fundamentum magis explicari debuisse, sicut fundamenti valor in aede superstructa cerni solet. Sed si τῶ διδάσκειν nihil magis inesset, nisi ipsorum Christi verborum explicatio, prius etiam πάντα, quod absolute positum esse credo²⁾, ad verba ἃ εἶπεν ὑμῖν referendum esset, atque igitur omitti potuisset, quin et debuisset. Deinde et prius ὑμῶς tunc superfluum esset. Atque sic igitur se haberet locus: ἐκεῖνος διδάξει καὶ ὑπομνήσει ὑμῶς πάντα κ. τ. λ.³⁾.

1) De loco XVI: 12-15 cf. H. E. Vinke, *Leerredenen* 1842. p. 218-299.

2) Cf. I Joh. II: 20, al.

3) Facile apparet, XV: 15 (ultima verba) huic interpretationi non ad-

Nec formulae, XVI:13^b—15 obviae, Schwegleri magis favere videntur sententiae. Tantummodo enim indicant, non talem fidei regulam daturum esse Spiritum S., quae cum Christi doctrina non conveniret. Paracletus nempe tanquam legatus divinus informatur, cui tuto fides haberi posset, quoniam nihil loqueretur, quod a Deo haud profectum esset. Prophetae mendaces, quorum in V. T. fit mentio, ἀφ' ἐκυτῶν locuti erant. Paracletus vero nihil denuntiaret praeter ea, quae denuntianda a Deo Eī tradita essent; neque ab altera parte horum quidquam reticeret (ῥεα) ¹⁾. Simul vero cum ipsius Christi κήρυγματι haec convenirent (ss. 14, 15), quippe quod et ipsum divinum esset. Ad ἀκούσῃ (s. 13) nempe subaudiendum non esse videtur παρ' ἐμοῦ, sed παρὰ τοῦ πατρὸς. Sic enim melius sese habere mihi videntur ss. 14, 15, quarum hic sensus sit: «me quoque δοξάσει ἐκεῖνος, ὅτι, ἂν ἀκούσῃ παρὰ τοῦ πατρὸς, αὐτὰ καὶ ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. (τὸ γὰρ τοῦ πατρὸς καὶ τὸ ἐμὸν ἓν ἐστίν.) πάντα, ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ κ. τ. λ. Pater autem in se habet (ἔχει) τὴν ἀλήθειαν, quam igitur et possidet Christus tanquam suam (τὸ ἐαυτοῦ). Itaque hanc si docet Spiritus S., eam sumit ex iis, quae simul et Christi sunt. Apparet, eam ob causam diserte hoc addidisse Christum, ut de convenientia, quae suam inter et Spiritūs S. doctrinam obtineret, certiores redderet

versari. Ibi enim πάντα, ἃ ἤκουσα rel. ad ea tantum referenda sunt, quae diserto consilio se audivisse dicit Christus, ut denuntiaret discipulis, — haud vero ad illa, quae, quamdiu cum iis versabatur, hi nondum ferre poterant.

1) Similia de ipso Christo dicuntur III:11, 32; VII:17; VIII:26. Cf. et XV:15.

discipulos. Itidem vero patet, hanc convenientiam non ex Spiritûs S. τῷ λόγῳ subordinatione, sed e communi utriusque doctrinae fonte divino hîc repeti.

Quod autem attinet ad dicendi formulas, quae XIV: 26^a et XV: 26, occurrunt, neque ex iis effici potest, τὸ πνεῦμα τῷ λόγῳ subjectum esse. Equidem saltem non video, quomodo talis sententia, post ea, quae de caeteris ll., a Schweglero laudd., monuimus, ex eo peti possit, quod *se missurum esse Spiritum sibi vicarium* Christus promississe tradatur. Antea enim Hic dixerat, Paracletum a Deo mittendum esse (XIV: 16), se vero Patrem rogaturum esse, ut Illum mitteret ¹⁾.

Quae omnia si teneantur, satis, ni fallor, apparet, ipsam eam non adesse ultimorum Jesu sermonum cum Montanismo convenientiam, ex qua Schwegler adversus eorum authenticam, vel annotationem Johanneam argumentatus est.

1) Pauca alia quoque eod. l. annotavit Schwegler hac spectantia, quae vero, ut mihi videtur, minoris momenti sunt. Observavit nempe, apud Johannem (XVI: 13), prouti in Montanismo, Spiritum S. tanquam πνεῦμα προφητικὸν describi. Sed ipsa haec formula a Justino M. etiam usurpata fuit (cf. Hagenbach, *Dogmengesch.* I. p. 105); neque igitur soli Montanismo propria est. Praeterea Schwegler memorat, anonymum apud Eusebium narrare: „der böse Geist in Montan habe sich oft richterlich und verdammend gebärdet, ἵνα καὶ ἐλεγκτικὸν εἶναι δοκῆι,“ quod in memoriam revocat XVI: 8. Denique (*Mont.* p. 188 sq.) animadvertit, vocabulum παράκλητος ante Montanismum non nisi apud Philonem, Valentinum et Johannem occurrere. Sed quoad ultimam hanc animadversionem summo jure ipse addidit Schwegl.: „Hier ist Alles viel zu dunkel, der Boden zu unsicher, als dass wir einen Schritt vorwärts kämen.“ Quod et in Eusebii locum egregie convenire mihi videtur.

§ 2.

*De peculiari consilio, cujus gratiâ hos sermones
finxisset Evangelista.*

a. *De discipulorum fide, his in sermonibus
Judaeorum ἐπιστία opposita.*

Baur, qui, ut notum est, totum Ev. Joh. fictam narrationem habet consulto constructam, ostendere conatus est, quid in singulis Evangelii partibus conscribendis auctor ejus spectaverit. Atque ultimorum item Christi sermonum fictionis peculiare se invenisse consiliun professus est ¹⁾.

Ad capitis XII finem usque, si eum audias, institutionis totiusque operis Jesu *hic* informatur effectus, ut Judaei fidem Illi non tribuerint (cf. XII:37). Quae publica Christi vitae conclusio simul et prioris Evangelii partis finem efficiat. Gloriam tamen, quae ex Christianorum traditione, (quam et scriptor noster sequebatur), Christo post vitam terrestrem destinata fuerat, particeps fieri Hic non potuisset, nisi jam ante Ejus mortem Messiam Eum habuissent nonnulli, per quos postea *mundus* etiam ad fidem Illi tribuendam permoveri posset. Jam vero in altera Evangelii parte, — praesertim capp. XIII-XVII, — undecim discipuli ut ii depinguntur, a quibus solis mundus incredulus ad fidem in Christo reponendam adduci posset. Hi igitur tanquam personae fictae occurrunt, quarum momentum jam cap. XIII initio

1) Cf. *Kann. Evv.* p. 84 sqq.; inprimis p. 200 sqq.

satis clare appareat. Christus enim a mundo jam se avertens, in discipulos, amore erga eos plenus, se convertit, eosque per pedum lavationem sibi magis conjunctos reddere studet, ut, amore erga Eum ducti, Ejus Evangelium rite denuntiarent, mundumque ad fidem Ei habendam adducerent. Sed ne ipsa quidem discipulorum fides ut jam confirmata poni poterat ¹⁾. Quare postquam omnis seposita erat conjunctio cum principio tenebrarum, (cujus cernitur patefactio in Juda proditore), in ultimis his sermonibus ipsi quoque discipuli a Christo plenius institui debebant, ut veri nominis fides iis tribui posset ²⁾. Propterea idem institutionis cursus ³⁾, quem frustra hucusque Judaeorum in gratiam adhibuerat Christus, h. l. bono cum successu, discipulorum ratione habita, redit (cf. XIV:11 coll. X:38). Variarum enim, quas in mediis sermonibus discipuli protulerunt quaestiones, parvae admodum, qua gaudebant, intelligentiae testes sunt; eademque ostendunt, Evangelistae fuisse consilium, ut discipulorum fidem, tanquam a Christo etiamnunc confirmandam, informaret ⁴⁾. Denique

1) „Der Glaube der Jünger . . . (konnte) ja selbst nicht als ein schon stehendes Resultat vorausgesetzt werden.“ Cf. l. l. p. 201.

2) „Ihr Glaube (musste) erst befestigt und geläutert und mit seinem objectiven Inhalt erfüllt werden, um der wahre Glaube zu sein.“ Eod. l.

3) „Process.“

4) „Die wiederholten Missverständnisse, welche auf der Seite der Jünger stattfinden, und es kaum begreifen lassen, wie die Jünger damals noch auf einer so niedrigen Stufe der Erkenntniß und des Glaubens stehen konnten, zeigen deutlich, wie es dem Evangelisten hier darum zu thun ist, die Jünger als das Object der den wahren Glauben erst begründenden Thätigkeit Jesu darzustellen.“ Cf. l. l. p. 202.

cap. XVII praecedentium summam, precum sub forma traditam, complectitur.

Quis autem non videt, haec omnia prorsus ex aëre pendere? Ita sane si narrationibus scriptis *impingantur* consilia¹⁾, omnis forsitan rejici potest historia. Praeterea vero multa adsunt, quae Bauri sententiae adversentur.

Primum nempe minime constat, Johannem s. scriptorem, quemquem eum fuisse statuas, a cap. XIII initio novam libri sui partem incipere voluisse, in qua discipulorum fides Judaeorum *ἀπιστία* opponatur. De Ev. Joh. dispositione vario modo egerunt viri docti²⁾. Vereor tamen, ne scriptori tribuamus res, quas ipse ob oculos non habuit, si statuamus, eum consulto in partes atque particulas divisisse Evangelium³⁾. Equidem non nego, hinc quoque adesse divisionem, ex rerum natura ortam; quin et varia ratione hoc Ev. dividi posse mihi videtur. Sed non satis cum scriptoris simplicitate, in ipso Evangelio conspicua, congruum esse credo, si

1) „Tendenzen.“

2) Cf. hac de re Lücke l. l. I. p. 177 sqq., ubi et hic divisionem probat Evangelii in Prologum (I: 1—18), Partem Priorem (I: 19—XII) et Posteriolem (XIII—XX) praeter Appendicem (XXI). Vinculum autem inter priorem atque posteriorem partem invenit in verbis *ἐδόξασα καὶ πέλεν ἀσθένεια* (XII: 28), ita ut priore parte Dei Nominis celebratio per vitam, posteriore per mortem resurrectionemque Jesu enarretur. Aliam divisionem proposuit Schweizer *Ev. Jo.* p. 274 sq. Rursus aliam nuperrime Luthardt l. l. p. X sqq.

3) Quod ipse vidit Luthardt p. XIII fine; qui vel eo procedit, ut I: 1—18 Prologum dici posse neget p. VII. Et profecto, si, Johannis ex consilio, I: 19 novae Evangelii partis initium efficere debuisset, luculentiore distinguendi formula usus fuisset.

divisionem quandam philosopham s. dogmaticam ipsi tribuamus Evangelistae 1). Quae igitur neque adhiberi potest, ut scriptoris consilia, quae singulis Evangelii partibus componendis consequi studuerit, explicentur. Quod autem peculiariter ad XIII:1 attinet, simpliciter h. l. transit scriptor ad ultimi vespere illius historiam describendam, quae prae caeteris gravis ei esse debuit. Sine dubio gravitas quaedam ejus verbis inest, quae l. l. habentur; quam tamen non ex eo repeto, quod *secundam* (vel aliam numero) Evangelii partem hinc inceperit, sed inde potius derivandam esse credo, quod jam in iis, quae annotare volebat, ad tempus illud pervenerat, quo ἦλθεν αὐτοῦ (τοῦ Ἰησοῦ) ἡ ὥρα, ἵνα μεταβῆ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου πρὸς τὸν πατέρα. Quisquis vero scriptor habendus sit, nullus hinc transitus invenitur, e quo apparent, ea ratione a Judaeorum ἀπιστία exponenda ad discipulorum fidem describendam transire fictorem, ut utramque Evangelii dividendi fundamentum posuerit 2).

1) De divisione *historica* non dicimus, quippe quae cuiquam in oculos incurrat.

2) Nec video distinctionem illam inter Evangelii partem priorem et posteriorem derivari posse ex XII:44—50. Recentiorum nempe interpretum nonnulli (eff. Lücke ad h. l., Baur l. l. p. 199, Schweizer l. l. p. 18 sq.) statuunt, hinc non inveniri sermonem, quem coram populo revera habuerit Jesus; sed brevem doctrinae Ejus summam his verbis contineri opinantur, quam, prioris Evangelii partis in fine, relationibus suis addiderit Johannes. Quam eo defendere conantur sententiam, quod s. 44 tantummodo habentur verba: Ἰησοῦς δὲ ἔκραζεν καὶ εἶπεν, nec loco neque auditoribus definitis per additum: πάλιν αὐτοῖς vel simile quid; quod *hoc* imprimis loco requireretur ob praeced. s. 36 (fine) καὶ ἀπελθὼν ἐκρέβη ἀπ' αὐτῶν. Verba porro ss. 44-50, ex eorum sententia, nil fere novi continent, sed quod ad summam e dictis Jesu, antea jam a Johanne notatis, composita sunt;

Dein vero ex Evangelii argumento multo minus etiam apparet, a cap. XIII inde discipulorum fidem Judaeorum ἀπιστίᾳ opponere voluisse scriptorem. Nam Baur ad XII:37 quidem provocat, ubi legitur: οὐκ ἐπίστευσεν εἰς αὐτόν; quibus verbis commorationis Jesu inter Judaeos exprimeretur effectus. Sed primum conferenda est s. 42 ubi haec habentur: ὄμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. Quamquam enim fides illa, ut ex s. 42^b, 43 patet, haud omni nomine pura fuerit, attamen, si ad omnium ἀπιστίαν indicandam cun-

quod ostendere conatur Frommann, *Joh. Lehrb.* p. 68 sq. Sed iis, quos ibi ut ll. pp. citavit, nonnulla insunt, quae vel alium, licet cognatum, sensum habent, vel ad ultimos Jesu sermones pertinent, quos tunc nondum elocutus erat. Concedimus tamen, maximam hujus sermonis partem e dictis constare, quae, mutata forma si excipias, antea jam notata inveniuntur. Sed optime fieri potuit, ut paulo ante mortem, postrema forsitan vice coram populo verba faciens, talia ediderit Christus, quibus doctrinae suae summam contraxerit. Johannes autem hanc ipsam ob causam in Ev. ea recipere potuit. Atque ita simul explicatur, quare opportunitatem non addiderit; s. scil. loci momentum in eo cernatur, quod brevis hic occurrat doctrinae Jesu complexus, parvi interest, quando haec verba enuntiaverit Christus. Tum vero, quod ad nexum cum s. 36 non notatum attinet, quid inde effici posset? Haud continuam vitae Jesu historiam scibere voluit Evangelista, sed ἀπομονωμένα tantum dedit. Nec ubivis indicare solet omnia rerum adjuncta; cf. V:17, 19; VIII:12, alibi, imprimis XII:20—22 coll. 23 sqq. Caeterum nisi rem spectaverit, quae certa quadam opportunitate locum habuerit, quare formula usus est: ἐφράξεν καὶ εἶπεν, quae etiam apud Synopticos haec formula eadem significatione invenitur; vid. Bretschn. *Lex.* in v. κράζω.) Quae si teneantur, statuendum est, sermone, vere a Christo enuntiatum, referre voluisse Johannem. Neque igitur probari potest, eum peculiari Evangelii parti finem hic imponere voluisse. Quod denique ne tunc quidem certum esset, si vel maxime doctrinae Jesu summam, coram Judaeis traditam, retulisset.

eta ficta essent, haec sane fictor non addidisset. Sed praeterea cap. II-IV multo magis de populi *fide*, quam de ejus *ἀπιστία* sermo est; vid. imprimis II: 23; IV: 41, 45. In seqq. autem capp. varii item loci occurrunt, quibus multi fidem Christo habuisse narrantur, ut VI: 14, 15; VII: 12^a, 40, 41, 46; XI: 45, 47, 48; XII: 17-19 et l. antea laud. 42. Nec quo magis mortis Jesu tempus appropinquat, eo minus de fide populi legitur. Contra enim, XI: 48, XII: 19 Principes atque Pharisaei metuunt, ne brevi post totus populus vel tanquam Prophetam, vel tanquam ipsum Messiam Eum agnoscat. Tandem locus XII: 42, ubi, ut vidimus, ex ipsis populi Principibus nonnulli credidisse narrantur, cum VII: 48 comparandus est, ubi contrarium affirmatur. Ex quibus jam elucet, rem inverso ordine accidisse, quam postremo vitae Christi tempore plures quam antea fidem Eī adhibuerint. Quomodo igitur Evangelii scriptoris consilium esse potuit, ut discipuli tanquam fideles Judaeis incredulis opponerentur?

Nec dicat quis, nos quoque cum Bauro fere solos *discipulos* spectare tanquam eos, quorum studio et labore ad fidem Christianam adductus sit mundus Judaicus¹⁾. Concedimus, fidem Judaeorum, quam ante mortem Jesu Eī tribuerint, quod ad plerosque attinet, nec veram fuisse nec stabilem. Sed hoc non est, de quo quaeritur. Nam si vera sit Bauri sententia, omnis, quae hoc in Ev. narratur, historia *ficta* est; vel ea saltem, quae ex vera sumta sint traditione, non ideo hīc inveniuntur, quandoquidem vera sunt, sed quia scriptoris

1) Cf. Bauri sententiae antea exposita.

inservire potuerint consilio. Jam vero hoc est, quod contendo: ponamus, omnia ficta esse; tunc sane auctor in pictura sua ea non recepisset, quae argumentationis ejus vim imminuere potuissent. Quod tamen fecisse statuendus est, si in pictura consulto ficta de Judaeis fidelibus ita locutus sit, prouti ll. laudd. hi informantur.

Sed plura etiam sunt, quae Bauri obstant sententiae. Si enim ad rationem attendamus, qua discipulorum fides depingitur, apparet sane, quam parum et ipsi hucusque Christum intellexissent (vid. inprimis XIV: 8¹). Si autem scriptor noster eos inter atque Judaeos oppositionem universe spectasset, nonne multo melius egisset, si intelligentiores atque altiore fidei gradu gaudentes eos depinxisset? Prouti enim his in sermonibus eorum condi-

1) Ex parva hac discipulorum intelligentia mirum in modum Baur argumentum contra Ev. Joh. authenticam efficere conatus est (l. l. p. 326). Scil. Johannes Apostolus ex satis nota Bauri de primaeva religionis Christianae conditione sententia ad Judaizantes pertinuit. Hi vero omnem discipulorum institutionem ex ipsius Jesu consuetudine corporali derivabant, (quod cum principiis eorum materialisticis s. antipneumaticis bene congruit). Quia igitur in Ev. Joh. discipuli, prope vitae Jesu finem quoque, tam indocti informantur, ut Paracleti iis opus esset institutione, Joh. Ap. Evangelii auctor esse non potuerit. Cf. etiam Lützelberger l. l. p. 179 et Schweizer l. l. p. 238.

Liceat et aliud hinc tangere argumentum, cod. l. p. 327 a Bauro adversus Evangelii Joh. authenticam allatum. Contendit nempe, mittendi Spiritus S. promissa, caeteraque, quae ut ad undecim discipulos pertinentia hinc memorantur, fere aequae bene in omnes Christo fidem habentes convenire (qua de re disserere non est hujus loci); unde jam efficit, Ev. nostrum ad tempus referendum esse, quo Apostolorum prae caeteris dignitas haud amplius agnosceretur. Memorandum est, Bretschneiderum contra statuuisse, precibus e. XVII componendis Apostolorum auctoritatem confirmare voluisse Evangelistam (Cf. l. l. p. 34).

tio exponitur, Christi institutio non tantum apud Judaeos, sed et apud undecim discipulos parvos admodum fructus tulisse videtur; adeo ut multo magis aequalitas quaedam, quam aeris oppositio inter utrosque obtinere videatur.

Nec opponat Baur ¹⁾, ne ipsam quidem discipulorum fidem ut jam confirmatam hîc informari potuisse. Quare enim id statui non posset? Nonne praecedit discipulorum professio, quae VI: 68, 69 legitur? Illic Petrus, qui, proditorem si excipias, ex omnium sane nomine dixisse censendus est, ea ratione loquitur, ut tunc jam nisi firmior, aequae firma certe fuisse videatur discipulorum fides, ac postea, i. e. ultimo ante mortem Jesu vespere, fuerit. Quod optime quidem explicari potest, si *veram* habere possimus historiam, quam de Christo retulit noster; sed mirum videatur in ejusmodi pictura ficta, qualem Evangelium nostrum habet Baur. In ea enim haud facile quis post VI: 68, 69 discipulorum interrogationes expectaret, quae in ultimis Jesu orationibus occurrunt. Si contra paululum ante praeceptoris mortem, tam inculti adhuc fuerint discipuli, ut ultimis in sermonibus quasi redeat institutionis cursus, quem antea, Judaeorum ratione habita, frustra adhibuisset Christus ²⁾, — quare cap. VI ita informantur discipuli, ac si tunc jam ad plenam fidem pervenissent? ³⁾

1) Cf. ejus sententia ineunte § exposita.

2) Cf. Bauri sententia antea exposita.

3) „Der Glaube der Jünger“ ait Baur „kann ja nicht als ein schon stehendes Resultat vorausgesetzt werden.“ Respondemus: „Der Glaube der Jünger muss ja schon vorausgesetzt werden, quoniam ipse praecessit locus VI: 68, 69.“

Denique si cum l.l. (VI: 68, 69) comparentur binae sect. praecedentes 66, 67, illic jam discipulorum fidem Judaeorum *ἔπιστις* opponi videmus. Si igitur capp. XIII-XVII huic inservire debuissent consilio, quare jam cap. VI ejusmodi quid invenitur? Quin imo, ut mihi videtur, *hic* luculentius quam *illic* oppositio illa indicatur.

Quod autem deinde ad vinculum attinet, quod, ex Bauri opinione, sermones ultimos cum pedum lavatione praecedenti jungat, — unusquisque, ni fallor, videt, quam inepta sit ejus sententia¹⁾, ex qua eo inservire debuerit pedum lavatio, ut tales in discipulis excitarentur animi sensus, quibus amore erga Christum imbuti, munus futurum rite obituri essent. Primum enim tales animi sensus ut in discipulis excitarentur, sane haud opus erat. Ne enim iterum ad VI: 68, 69 provocemus, — Thomae cautiatur XI: 16, coll. omnium discipulorum dehortatione (s. 8), qua persuadere Magistro conabantur, ne rursus Hierosolymam peteret, sufficiens amoris testis est, quo ductus unus ex discipulis, cui et caeteri assensisse censendi sunt, ne mortem quidem, Praeceptoris causa obeundam, metuebat. Sed praeterea ex XIII: 10, 14-17 satis patet, Christi, discipulorum pedes lavantis, consilium ex Evangelii scriptoris mente in eo constitisse, ut a superbia litibusque ex ea ortis eos dehortaretur, nec amplius inter se de primatu certarent; prouti alio loco ipse Baur aliquatenus fatetur²⁾. Quod egregie convenit cum Jac. XXII: 24-30, qui igitur locus si-

1) Vid. item supra ineunte §.

2) Cf. l. l. p. 261.

mul pro narrationis Johanneae veritate testatur¹⁾. Licet igitur haud negandum sit, pedum lavationem discipulorum erga Christum auxisse amorem, ficta tamen ea non est, ut ostenderetur hujus amoris origo.

Itaque concludimus, nullo modo hîc cerni illud scriptoris consilium, de quo dixit Baur²⁾. Praeterea vero totum ejus negandum est disputandi principium, ex quo ea rejicienda habeat, quae ad peculiarem rem probandam, vel exponendam consulto scripta sint. Si enim vel maxime cum in finem sermones, de quibus dicimus, retulisset scriptor, ut Judaeorum ἀπιστιᾶ discipulorum opponeretur fides, sive ut appareret, quomodo eos praeparaverit Christus, ut mundo, magnam partem incredulo, Evangelium denuntiarent, quid inde adversus eorum authenticam sequeretur? Certo, si ita conformati essent, ut quisque videret, eorum relationem cum historia haudquaquam convenire posse, sed fictionis secum ferre testimonium, aliter res se haberet. Ubi vero caeteroquin

1) Mera enim Bauri hypothesis est, p. 261 stataentis, pedum lavationis historiam ex Evangelistae studio repetendam esse, ut S. Coenae celebrationis haud memoratae loco, aliam substitueret narrationem, ex qua Jesu amor erga discipulos apparere posset; ad quod assequendum usus fuerit Christi verbis Luc. XXII:27^b, quorum veritatem ficta narratione ostendere voluerit. Ita sane omnia inverti possunt.

2) Nec prorsus probanda mihi videntur ea, quae de ultimarum Jesu orationum argumento monet Luthardt l. l. p. 72 sq.; qui in iis praefiguratam esse statuit perpassionum Ejus atque resurrectionis historiam, quae sequitur c. XVIII—XX, cui singulae respondeant orationum partes: XIII, XIV—XVI, XVII, ita ut c. XIII Christi perpassiones, — XIV—XVI vitam, in terra quam degit post resurrectionem, — XVII munus sacerdotale in coelis praesignificent. Tenendum tamen, Luthardtum non fictos, sed veros habere sermones, a Johanne notatos.

cum historia concinit ratio, non ideo damanda est, quoniam peculiare consilium scriptor eâ assequi studuerit. *Aliquem* finem unusquisque scriptor spectat. Nonne pleraque scripta historica eo confecta sunt consilio, ut de rebus factis aequum iudicium ferat posteritas? Atvero concedimus, *Johannem* non tantum historiae referendae causâ, sed peculiare in fines Evangelium suum conscripsisse ¹⁾. Sed si vel maxime scriptor quidam peculiarem sibi probandam sumat sententiam, quidni simul accurate referre posset historiam, cui probandae sententiae praesidium inesse ei videatur?

b. *De his sermonibus, doctrinae de τῷ λόγῳ expositionem continentibus.*

Aliud etiam scriptoris affertur consilium, propter quod finxit hos sermones. Qui scilicet ad exponendam doctrinam, quae τὸν λόγον spectat, inservire debuerint.

Hac de re jam Bretschneider locutus est, ubi ²⁾ e discipulorum „inscitia prorsus incredibili,” cujus testis sit locus XIV: 1-9, derivare voluit, Evangelistam fingendis Thomae et Philippi interrogationibus, illic obviis, „quaesivisse occasionem affirmandi, Jesum cum Patre conjunctissimum esse, et in Eo, quippe λόγῳ, humano corpore induto, Deum conspici” ³⁾. Deinde tanquam

1) Qua de re candide fatenda, omnino vid. Niermeijer, *Mag. v. Kr. en Exeg.* II. 1. p. 61.

2) Cf. l. l. p. 63.

3) Minoris momenti videtur, ut de consilio agamus *apologetico*, quod his sermonibus inesse statuit Bretschn. Qui seil. totum Ev. conscriptum habuit ad rem Christianam contra adversarios defendendam, qui primo jam

eundem in finem compositas preces cap. XVII attulit Bretschneider¹⁾, affirmans, internam earum rationem cum precum indole nequaquam convenire. Cujus rei causa magnam partem in ipso precum illarum cum doctrinae τοῦ λόγου vinculo cernatur, caeterum vero in eo quaerenda sit, quod vix credere quis possit, „ Jesum in gravissima crudelissimi supplicii expectatione preces hujus argumenti fecisse.” Praeterea sect. 3 luculentum fictionis inveniatur indicium in verbis καὶ ὃν ἀπέστειλες Ἰησοῦν Χριστόν. E quibus scilicet appareat, oblitum fuisse scriptorem, se ipsum Christum inducere loquentem. Si enim authentica essent haec Christi verba, scriptum esse debuisset καὶ ἐμέ κ. τ. λ.²⁾.

De precum vinculo cum doctrina de τῷ λόγῳ, mox paucis agendum erit. De earundem habitu, adversus animi conditionem, in qua ultimo ante mortem versatus fuerit Christus, haud pugnante, supra jam diximus³⁾. Quod vero ad locum XVII:3 attinet, sine dubio optime cum Christi mente convenire potuit, ut

post Chr. saec. hostili impetu eam aggressi sunt (Cf. *Prob.* p. 115 sqq.). In *ultimis* autem Jesu sermonibus magnopere extollantur laudes discipulorum, ut contra Celsi defendantur accusationes, qui eos vocaverat ἐπιβρότους ἀνθρώπους, τελόνας καὶ ναύτας τοῖς πονηροτάτους (Cf. I. I. p. 141 sqq.). Sed ipsae, de quibus agimus, discipulorum interrogationes, cap. XIV et XVI obviae, in apologia eorum aptum locum occupare mihi non videntur. Quare enim parvae eorum intelligentiae in ea mentio facta esset, quae quidem tanquam stupiditatis testis accipi possit, haud facile vero in eorum laudem afferri potuerit? Inprimis vero XIII:38 huic consilio apologetico adversari videtur.

1) Cf. I. I. p. 33 sq.

2) Cf. I. I. p. 63.

3) Cf. cap. I. § 2.

hoc loco ipsum suum nomen expresserit, quippe quo cogitationis, quam his verbis exprimere voluerit, vis contineatur atque momentum ¹⁾). Quod autem omissum sit Pron. Poss. ἐμὲ, quare tandem contra dicti authenticam hoc affertur? ²⁾). Nonne sapius de se ipso in 3 Pers. quis loquitur? Inprimis sane hoc fieri solet, si rei enuntiandae momentum in definita quadam ipsius loquentis proprietate cernitur s. facultate, quam hanc ob causam discrete exprimit. Sed id ipsum, ut vidimus, hoc loco obtinet. Deinde et alibi saepius ipse Christus ita loquens inducitur. Cff., praeter varios Synopticorum locos, Joh. V : 20-23, 25-29 al. Idem igitur eodem jure adversus omnes hos locos afferri posset. An forte id mirum videtur, in precibus fundendis ita locutum fuisse Christum? Sed quare in *precibus* hoc offendit, si in *sermonibus*, coram hominibus habitis, nullam molestiam parere censeatur? Hac in re *precum* et *sermonum* nullum discrimen esse mihi videtur.

1) Cf. et Meijer ad h. l.

2) Miratus sum, Linckium hac in re cum Bretschn. consentire. Cf. in l. Praeterea in addita disquisitione de harum precum authenticis (cod. l. p. 693 sq.) ita de earum compositione loquitur, ut fere omnia, quae in iis inveniuntur, non a *Christo*, sed a *Johanne* profecta habere videatur. Antea (Sect. I. § 2) vidimus, eum in Christi sermonibus defendendis tantummodo *cogitationum fundamentalium* tueri velle authenticam. Ea vero, quae e precibus cap. XVII tanquam *fundamentalia* allegat, tam pauca et, ipsarum precum ratione habita, tam vaga sunt, ut hoc l. multo majus etiam concedere mihi videatur discrimen, quod inter ipsa Christi dicta eorumque relationem Johanneam obtineat, quam e verbe ejus, quae Sect. I. laudavimus, efficere potuerim. Dein et Tholuck, de 3ae Pers. usu c. XVII:3 agens, haec addit: „doch blickt vielleicht der später schreibende Evangelist durch“ (6e Aufl. p. 349 in fine).

Sed ad Christi orationum cum doctrina τοῦ λόγου conjunctionem redeundum est. Post Bretschneiderum eandem quoque sententiam protulit Weisse¹⁾. Inprimis vero hoc item loco memorandus est Baur, qui omnes sermones Johanneos ad doctrinam de τῷ λόγῳ exponendam fictos esse censet²⁾, sed praesertim ultimas Christi orationes, et in his, prae caeteris earum partibus, preces cap. XVII hujus rei testes habet³⁾.

Verum est, plures Jesu sermones Johanneos partim de metaphysico Ejus cum Patre vinculo agere. Utrum tamen doctrinae de τῷ λόγῳ expositionem, proprie sic dictam, continere censendi sint, affirmare non ausim. Bauro concedimus animadvertenti⁴⁾, huic sententiae non obesse, vocabulum λόγος ab Evangelii scriptore usquam Jesu tribui. Attamen sermonum indoles non ea esse mihi videtur, ut haec doctrina ubivis in iis praevaleat.

1) Cf. l. l. II. p. 295. Miram ejus sententiam de precibus cap. XVII vid. apud v. Oosterzee, *L. v. J.* III. 1. p. 224 in annot. Melius certe quam Weisse de his precibus loquitur Schweizer l. l. p. 229 in fine. Cf. etiam Roldanus, *Disp. theol. de pretio statuendo precationi Jesu Joh. XVII.* Lugd. Bat. 1829, p. 12 sqq., 47 sqq., et Modderman, *Diss. de Jesu ex Joh. XVII cognoscendo*, Gron. 1843.

2) Cf. l. l. p. 304 sqq.

3) «(Es) wendet sich ja zuletzt in den Abschiedsreden und noch mehr im dem hohenpriesterlichen Gebet das ganze Selbstbewusstsein Jesu zu dem absoluten Sein zurück, in welchem er als der Logos in der ewigen Identität mit sich selbst und dem Vater war.» Cf. l. l. p. 310. Alio loco de precibus cap. XVII haec dicit: «Auf keinem Punkte der Ev. legt sich die Entwicklung des Werkes Jesu, wie sie in der Idée des Logos ihre alles zusammenfassende und bestimmende Einheit hat, in dem Zusammenhang ihrer einzelnen Momente so klar und anschaulich dar.» Cf. p. 207.

4) Cf. l. l. p. 305.

Quod autem peculiariter ad ultimos Jesu sermones attinet precesque, assentire illi non possum, ubi statuit, plura quam in prioribus hac de re in iis inveniri. Etsi enim iis insunt nonnulla huc referenda, ut ea, quae XIV:9-11 et XVII:5 habentur, aliaque forsitan hic illic pauca¹⁾, longe pleraque non τοῦ λόγου cum Patre, sed discipulorum cum Christo spectant conjunctionem. Ex XVII:21 sqq. item patet, formulas σὺ πᾶτερ ἐν ἐμοὶ καὶ ἐγὼ ἐν σοὶ, similesque, non adeo allatas esse, ut metaphysicum τοῦ λόγου cum Deo vinculum expriment, quoniam mox eadem de Christi cum discipulis omnibusque fidelibus futuris (cf. s. 20) conjunctione usurpantur, quippe cum ea, quae Deum inter Christumque obtinebat, comparanda. Quomodo igitur de doctrinae τοῦ λόγου explicatione consulto confecta sermo esse hinc potest?²⁾ Denique e loco XVII:3^b satis apparet, orationis argumentum non esse τὸν λόγον, sed Ἰησοῦν Χριστόν, ὃν ἀπέστειλεν ὁ θεός.

Denique animadvertendum est, adversus sermonum authenticam non testari, doctrinae cujusdam eos continere expositionem. Quid enim rerum naturae magis consentaneum est, quam ut sermones, quos religionis doctor enuntiaverit, hunc in finem referantur, ut exponatur ejus doctrina. Cujus vestigia item in precibus reperiri, quas fuderit ille, sane haud mirum est. Bauro quidem concedimus, sermones illos precesque, ut authentici haberi possint, sermonum atque precum indolem referre debere. Quodsi vero ita conformatae sint orationes, ut

1) Hac non pertinere XIV:28 (fine) supra vidimus § 1.

2) Cacterum cf. Ebrard, *K. d. E. G.* p. 885.

orationum revera speciem ferant, non ideo rejiciendae sunt, quoniam simul etiam doctrinae ejusdam contineant expositionem.

Itaque tum Bauri aliorumque disputandi principium, ex quo h. l. argumentati sunt, tum ratio, qua in ultimos Jesu sermones Johanneos dijudicandos illud applicarunt, rejicienda sunt. Quod cum ita sit, totum dubitationis, de qua egimus, cadit momentum.

§ 3.

De iis, quae, cum universâ Christi imagine Johannea haud congruentia, his sermonibus inesse dicuntur.

a. De ratione, qua de Judaeis loquitur Christus, cum Ejus origine e gente Judaica non congruente.

Nonnulla hisce sermonibus inesse dicuntur, quae cum ea, quam ipsum Ev. Joh. de Christi persona profert, imagine non conveniant.

Primum enim Christum in hoc quoque Evangelio tanquam Messiam, ex populo Judaico oriundum, informari, nemo facile negabit. Nam itinera non tantum suscepisse narratur Hierosolymam, ut festa celebraret Judaica, ea quoque, quae non ex lege Mosaica petita erant (cf. X: 22); sed Prophetarum etiam vaticinationes ad Eum referendas esse, docemur¹⁾. Denique et IV: 22 ostendit, Eum ut Judaeis addictum proponi.

1) Locorum catalogum vid. apud Bleekium I. I. p. 247.

Attamen hic illic in eodem Evangelio nonnulli inveniuntur loci, quibus ejusmodi ratione Christus loqui videatur, quasi ipse Judaeus non fuisset. Quorum unus est, qui ad ultimos Jesu sermones pertinet. Nempe XV:25 legem Mosaicam Christus non vocat τὸν νόμον ἡμῶν, sed αὐτῶν, i. e. τῶν Ἰουδαίων¹⁾. Unde oritur quaestio, utrum Judaeorum Messias, licet ipse ex iis oriundus, ea ratione de lege eorum locutus esse possit, qua hic de ea loquens inducitur. Cui si negando respondendum sit, Evangelista ex *sua* persona Christum loquentem induxisse censendus est; atque adeo non authenticos Ejus tradidit sermones, sed, nisi omnia finxerit, liberam eorum imitationem confecisse statuendus est.

Hic locus cum ejus parallelis imprimis contra *Evangelii* authenticam afferri solet, quum ex iis apparere nonnulli opinentur, *ipsum scriptorem* Judacum non fuisse. Johannes enim, Judaismi ratione habita, eam sibi vindicare non potuisset liberalitatem, quam loci, de quibus dicimus, tribuere ei videntur²⁾. Atvero Johannes Apostolus, diuturna consuetudine cum Ethnico-christianis junctus, in senectute sua, i. e. quo tempore Evangelium scripserit, a Judaeorum cogitandi ratione facile tantopere alienus factus esse potuit, ut ipse, coram Asiae Ecclesiis verba

1) Cf. VIII:17 et X:34, ubi cum ipsis Judaeis Ei inimicis agens Christus τὸν νόμον item non vocat ἡμέτερον et ἡμῶν sed ὑμέτερον et ὑμῶν.

2) Vidd. Bretschn. *Prob.* p. 91; Schwegler, *N. apł. Zlt.* II. p. 351; Schweizer, *Ev. Jo.* p. 50. Cf. et Baur, *Kann. Evv.* p. 316, qui provocat ad Fischerum: *über den Ausdruck εὐ Ἰουδαῖοι im Ev. Jo.* Tüb. Zeitschr. 1840. II. p. 96 sqq. Vid. et Köstlin, *Joh. Lehrbegriff* p. 134.

faciens, vel etiam earum in commodum scribens, legem Mosaicam τὸν τῶν Ἰουδαίων νόμον vocare potuerit¹⁾. Sed aliud est, quod offendat. Mirum nempe videtur, Christum loquentem induxisse Johannem, non prouti *Ille*, dum vivebat, de lege Mos. locutus fuerit, sed prout *ipse* eo, quo scribebat, tempore de ea loqui consueverat. Constat certe, eum, vel scriptorem, quisquis fuerit, Christi verba authentica non reddidisse, nisi Hic in vita sua terrestri legem Mos. τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων vocare potuerit.

Quare autem hoc loco legem Mosaicam *suam* dicere debuit Jesus? Eam hîc tantummodo spectavit, quatenus ad Judaeos pertinebat, qui sese inimicos Ei ostenderant²⁾. Quod, collata sect. 24, luculenter apparet. Est quasi dicat Christus: ἵνα πληρωθῆ ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ, ὅς καὶ αὐτῶν ἐστὶ νόμος κ. τ. λ. Nihil igitur impedit, quominus statuamus, Christum, licet Ipse fuerit Judaeus, h. l. de lege Mosaica ita loqui potuisse. Non interest, *quorum* universe lex dici posset ὁ νόμος; sed tantummodo ejus mentio fit, quoniam ad eos quoque spectabat Judaeos, qui Christum exosi erant.

b. *De obscuriore Christi dicendi genere, contra Ejus sapientiam pugnante.*

Aliam vero dubitationem, quae huc apte refertur, pro-

1) Cf. Niermeijer, *Mag. v. Kr. en Exeg.* I. 4.

2) Cf. Nierm. l. l.; qui item animadvertit, in Synopticis quoque similia occurrere Mt. XXIII: 32; Luc. VI: 23; adversus quos eadem igitur valeret dubitatio.

tulit Baur. Contendit nempe, Jesu auditores, si ea, qua versati esse narrantur, conditione usi sint, Ejus sermones intelligere non potuisse. Quum igitur ut Dei Filius, Judaeorumque Rex occurrat Christus, minime vero ut *μάντις*, obscura qui edere solet mysteria, quomodo jam tales Christo tribui possint sermones, quicum Ejus sapientia pugnare videantur? ¹⁾

Haud nominatim quidem ad *ultimos* Jesu sermones provocavit Baur; imo praesertim eos spectare videtur, quos coram Judaeis habuisse traditur Christus. Cum tamen de orationibus Johanneis in genere dicat, nec ultimas excipiat, hanc dubitationem praeterire nobis non licet.

Nec negari potest, ultimis etiam Jesu orationibus varia inesse, quorum gravem, quem ex mente Christi habuerint, sensum haud omni nomine capere potuerint discipuli. Caveamus vero, ne hac in re concedenda aequo largiores simus. Consulto nempe de *gravi* verborum sensu locuti sumus, qui Christi ex mente iis tribuendus sit. Non est, quod omnia Ejus enuntiata, his in sermonibus obvia, h. l. explicemus. Eorum vero docet interpretatio, omnibus fere quasdam inesse notiones magis minusve definitas, quae a discipulis omnino percipi poterunt.

1) „Reden können nicht historisch sein, welchen, wenn sie wirklich so gehalten worden wären, alle Zweckmässigkeit des Vortrags, und alle Natürlichkeit der Verhältnisse gefehlt haben würde Welche Vorstellung müssten wir uns ... über die Lehrweisheit Jesu machen, wenn Jesus keine andern Lehrvorträge gehalten hätte, als nur solche, wie ihn unser Evangelist vor den verschiedenen Zuhörern, vor welchen diese Reden gehalten worden sein sollen, im Ganzen immer wieder auf dieselbe mehr oder minder unverständliche Weise halten lässt?“ Cf. l. l. p. 297 sqq.

Sic e. c. ex iis, quae de reditu suo dixit Christus, (s. externus spectetur, s. internus per Spiritum S.), hoc saltem efficere potuerunt discipuli, sempiternam quandam cum Christo et per Eum cum Deo iis fore conjunctionem; prouti ex iis, quae ante XIV : 22 leguntur, effecisse traditur Judas, haud de tali reditu locutum esse Christum, quo mundo iterum se patefaceret ¹⁾. Simili autem modo, ut aliud etiam afferamus exemplum, ea si perpendamus, quae de Spiritu S. locutus sit Christus, elucet, hoc saltem facile ex iis efficere potuisse discipulos, divinum iis fore auxilium, quo mens eorum illustraretur, iisque concederentur ea, quibus opus iis foret, ut munus rite obire possent apostolicum. Caeterum vero varia quoque sermonibus insunt facilia, quae in eorum indole dijudicanda negligi non debent. In quibus prae caeteris ea specto, quae ad conservanda Christi praecepta, ad fraternum amorem alendum, et ad persecutiones pertinent, quas Ejus causa perferrent discipuli. Quae omnia sane ab his sine multo labore percipi poterant.

Sed ab altera parte concedimus, varios his sermonibus inesse locos, quorum plenum, quem ex mente Christi habuerint, sensum, discipuli, parvo adhuc intelligentiae gradu gaudentes, penitus percipere haud potuerint. Ad quod probandum eos imprimis locos afferre liceat, de quibus modo partim jam diximus. Ipsos nempe spectamus, qui

1) Quem locum me tantummodo *exempli* causa, non *argumenti* instar afferre, apparet. Si enim tanquam probandi argumentum spectaretur, argumentationi nostrae petitio principii inesset; quum de ipsius Judae dicti nondum constet authentia.

ad Christi reditum pertinent. Atvero negamus, adversus sermonum authentiam quidquam ex iis effici posse. Nam nobis quoque eorum arridet sententia, qui statuunt, Christum his locis¹⁾ consulto ambigua ratione dixisse, ut dubii haerent discipuli, utrum *corporeum* etiam significaret reditum necne. Sic nempe ad lactum de Ejus in vitam reditu nuntium accipiendum praeparabantur; quem tamen reditum certum habere non debebant, ne expectationibus Judaeo-messiatricis nimium indulgerent, nec consuetudinis cum Christo restituendae nimiam spem foverent²⁾. Quodsi jure ita statuamus,

1) Cf. XIV: 18 sqq., XVI 16 sqq.

2) Ut nobis enim videtur, non omnis corporei reditūs significatio ex locis hisce pellenda est. Contrariam defendit sententiam de Haan Hugenholtz, *Disput. de dictis Jesu Jo. XIV, XVI, quibus se rediturum esse promittit*, cact. Lugd. Bat. 1834. Multum hac de re disputari potest, quod tamen non hujus loci est. Vidd. tum Hugenholtz, tum interpretes, ab eo laudati, et qui postea accesserunt recentiores. Provoce tamen liceat ad XVI: 22, ubi non discipuli Christum iterum visuri esse dicuntur, sed, inverso ordine, Hic illos revisurus esse dicitur. Jam nonne sensu spirituali semper eos videre perrexit Christus? Deinde a dicendi formula: *ἴψομαι* (XVI: 22) magnopere differunt verba: *ἐμπαύσω ἐμαυτὸν*, quae ex XIV: 21 contulit Hugenh., ut probet, verba *ἴψομαι ὑμῶς* substituta esse pro *ἴψοσθε με* (cf. l. l. p. 54 in annot.) Praeterea tota locorum indoles suadere mihi videtur, ut ad reditum quoque corporeum respexisse statuatur Jesus. (Quam hoc ultimo vitae vespere clarioribus etiam significavit verbis, si ediderit ea, quae habentur Mt. XXVI: 32 coll. Mr. XIV: 28) Spiritualem autem verborum, de quibus egimus, sensum tantopere premit Schweizer (l. l. p. 211 coll. 218), ut contendat, haec Christi enuntiata, quorum significationem ex ejus sententia bene cepit Joh., adversus resurrectionem Christi *corporealem* testari. Quae neque usquam in hoc Ev. doceatur. Nam II: 21 spuria sit (cf. p. 64), et c. XX tantummodo memorentur apparitiones Christi doceticæ (p. 212 sqq.). Hic autem in ultimis orationibus haud ita locutus esse potuerit, si Ipse credi-

multo magis sapientiae Jesu admirandae ansam praebet haec Ejus agendi ratio, quam ut ex verborum Ejus ambiguitate cum Bauro contrarium efficeremus.

Caeterum huc item referri possent loci, Spiritum S. spectantes, imprimis XVI:8—11, aliique. Sed observandum est, ipsum scriptorem nostrum Christo tribuere verba XVI:25: ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν. Haud mirum igitur, iis, quae hîc reperiuntur, multum inesse aenigmatica. Ipsius Christi consilium fuisse traditur, ut talia quoque enuntiaret, quae adhuc obscura essent auditoribus. Quae agendi ratio cum Christi sapientia omnino in concordiam redigi potest. Quod enim XVI:4, praesertim quoad persecutiones, quas perferrent discipuli, affirmasse traditur Jesus, id de caeteris etiam valuisse optime statui potest: cum discipulis haec omnia communicavit Christus, ut, ὅταν ἔλθῃ ἡ ὄρα, qua eorum veritatem experirentur, praedictorum memores essent. Cui sententiae egregie convenit promissum Ejus XIV:26 in fine, ex quo postea Spiritus S. Christi dicta in memoriam iis revocaturus esset. Itaque imprimis postquam abierat Christus, Ejus verba plenius percipere debebant Apostoli. Tunc in memoriam iis redirent quae antea enuntiaverat, ut confirmaretur eorum fides. Tunc enim viderent, omnia vere accidere, prouti Ille praedixerat. Sic et ipse Evangelii scriptor testatur.

disset, sese post triduum reversurum esse. Equidem vero, quomodo Schweizeri haec probari possit sententia, non video. Nam etiamsi omnem corporei reditûs significationem ex ultimis sermonibus pellendam esse quis statuât, — adversus illum hos pugnare, quo tandem jure contendere potest?

Christi dictum quoddam, Ejus in vitam reditum spectans, non nisi post reditum illum a discipulis perceptum fuisse, „ita ut crederent τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς.” (Vid. II:22 coll. 19, 21). Haec vero communis omnium fere vaticiniorum est indoles, quae in Cod. S. habentur, ut quamdiu haud evenerint res, quas spectant, non nisi universae rerum notiones minus definitae ex iis derivari possint. Eâdem aenigmatica ratione de morte sua loquens inducitur Christus III:14, VIII:28, XII:32 coll. 33 al.¹⁾.

Tandem vero ponamus, fictos esse hos sermones. Quare igitur scriptor ita loquentem fecit Christum, ut auditores multa intelligere haud potuerint? Si ejus fuerit consilium, ut a Johanne Apostolo profectus haberetur liber, stulte egisset, si talia finxisset, quae fictionis tam luculentum secum ferrent indicium. Si vero ipse Johannes scriptor habendus sit, ita tamen ut liberam tantum Christi sermonum construere voluerit imaginem simulationem, quare ita illos composuit sermones, ut neque cum rei natura, neque cum Jesu sapientia convenire videatur eorum indoles? Multo melius certe egisset, si luculentiora depinxisset Christi, quae imitatus sit, enuntiata.

1) Objecit Weisse (l. l. II. p. 281), discipulos eam ob causam Christum, his ultimis in sermonibus de *abitu* suo disserentem, intelligere non potuisse, quoniam de eo tanquam de re jam nota h. l. locutus sit Jesus; dum ex Synopticorum contra relationibus apparere ei videtur, eos hucusque violentam Christi mortem ne auguratos quidem fuisse. Quod quomodo ex Synopticis effici possit, me non intelligere fateor. Quae autem de ratione, qua exstiterint ultimae Jesu orationes Johanneae, plura apud Weissem habentur, tantummodo sententiae ejus expositionem, minus vero comprobationem continent, quare praeteriri posse mihi videntur.

Quae cum ita sint, jure concludere licet, ea, quae ex his orationibus afferuntur, quippe cum universa, quae hoc in Evangelio Christus depingitur, ratione haud congruentia, in eorundem sermonum authentia oppugnanda nullius esse momenti.

§ 4.

De horum sermonum convenientia cum ipsius Johannis verbis, in Ev. et prima Epist. Joh. obviis.

Superest, ut de alia quoque agamus dubitatione, quae ex comparatione, inter Jesu sermones, in Ev. Joh. obvios, ipsiusque hujus libri scriptoris verba, quae tum in ipso Ev., tum in Epist. prima Joh. occurrunt, instituta petitur ¹⁾. Saepius nempe ²⁾ prolata est sententia, ex qua ipsa non tantum Johannis doctrina, sed hujus quoque forma, ut et universa ejus dicendi ratio, cum iis, quae hoc in Ev. ipsi Christo tribuuntur, tantopere conveniant, ut dictionem illam, ipsaque forsitan placita, non a Christo, sed a Johanne profecta esse, luculenter appareat. Quod si ex mutua utriusque animi conjunctione explicare velis, novam difficultatem parit discrimen inter Christi imaginem Synopticam et Johanneam, unde

1) Apparet, Epistolarum quoque Johannearum — earumve primae salutem — hinc sumendam esse authenticam.

2) Vid. imprimis Strauss l. l. I. p. 659 sqq., praesertim 673 sq.; Weisse l. l. I. p. 97 sq., coll. II. p. 184 sqq. Pauca tantum habet Bretschn. l. l. p. 30. Baur, ac si hac de re haud amplius dubium esset, eam magis ponit, quam exponit l. l. p. 292 sqq., coll. 304 sqq. Caeterum cf. Credner, l. l. I. p. 257, alique.

pateat, non semper ita locutum fuisse Christum, prout in Ev. Joh. loquens inducitur 1). Ex quo, si authenticos tamen habere velis Christi sermones, a Johanne relatos, sequi videtur, hunc, ubi suam profert doctrinam, non universam ob oculos habuisse Christi doctrinam atque dictionem, sed hanc tantummodo ejus partem exemplo sibi posuisse, eamque imitatum fuisse illius formam, quae in ipsis iis Christi orationibus inveniuntur, quas et idem retulit Johannes. Quod primo obtutu mirum videri, fateor. Denique Johannes Baptista, ex Evangelii Joh. relatione, eandem atque Christus et Johannes Apostolus tum profert doctrinam, tum dictionem adhibet; quod majorem etiam excitet suspicionem, quandoquidem Joh. Bapt., quippe Veteris T. Propheta, vix eadem ratione loqui potuerit, qua usus sit Christi discipulus 2).

Haec igitur quaestio, aequae ac praecedens, non ultimos tantum, sed omnes tangit Jesu sermones Johannicos 3). At prae caeteris tamen ultimorum Christi orationum cum Epist. prima Joh. magna est convenientia 4). Tota nempe illarum ratio cum hujus indole conjunctio-

1) Qua de re cf. hujus Sect. Cap. I. § 2.

2) Cf. Strauss l. l. I. p. 371 sqq.; coll. 675; et Weisse l. l. I. p. 407.

3) De convenientia Johannem inter atque Christum Johannicum vid. Stronck, *Specim. de doctr. et dictione Joh. ad Jesu doctr. et dict. exacte composita*, Traj. 1797; Borger, *de constanti et aequabili Jesu Christi indole, doctrina, ac docendi ratione, s. commentt. de Euang. Joa. cum Matthaei, Marci et Lucae Evangeliiis comparato*. I. 1816; et Credner, *Einl. I. in formularum Johannicarum catalogo* p. 223 sqq.

4) Unde colligit Pareau (*Waarb. in L.* 1847. p. 480 sq.), ultimos inprimis hos Christi sermones Johanni, Epistolam primam scribenti, ante oculos fuisse.

nem quandam ostendit internam, quae haud meliore ratione percipi posse mihi videtur, quam utrisque accurate perlegendis. Quin et varia nominatim indicari possunt tum dicta, tum formulae, tum singulae voces, his in sermonibus obviae, quibus in Epist. prima item usus est Johannes. Ad quod probandum eff.

Ev. XIII:34 c. Ep. II:7 (καινή ἐντολή)

" XIV:6 " " I:2 (ζωή ad Christum rel.)

" " 7,9 " " IV:12 (ὄραν τὸν πατέρα — θεῶν
σθαι θεόν).

" " 16 al. c. Ep. II:1 (παράκλητος),

" " 17 " " " II:27 (πν. τῆς ἀληθείας)

" " 20, XV:6, 9, 10, XVII:21, 23 c. Ep.
II:6, III:24, IV:13, 16 (μένειν ἐν —
εἶναι ἐν simil.)

" " 21, 23, 24, XV:10, 14 c. Ep. III:24,
V:3 (τὰς ἐντολάς τηρεῖν simil.).

" XV:11, XVI:24, XVII:13 c. Ep. I:4 (ἵνα
ἡ χαρὰ πληρωθῇ simil.).

" XVI:33 c. Ep. V:4, 5 (νικᾶν τὸν κόσμον).

Atque imprimis ad cogitationum attendendum est convenientiam, quae obtinet inter:

Ev. XIV:26 et Ep. II:27.

" XV:13 " " III:16.

" " :18, XVII:14 et Ep. III:13.

" " 23 et Ep. II:23.

" XVII:3 " " V:20.

" " 24 " " III:2.

" " 25 " " III:1.

Primum autem hoc quoque loco animadvertendum est, convenientiam inter Christi verba, a Joh. notata, et ipsum

Johannem, quatenus ejusmodi spectat voces dicendique formulas, quae salvo dictorum sensu cum aliis permutari possint, difficultatem haud parere, quippe quae, salva orationum Jesu authentia, Johanni tribui possint ¹⁾.

Atvero, ut vidimus, *plura* inter se communia habent Johannes et Christus Johanneus, quam talia, quae formulae *ἑδιδουδός* dici possint. Ipsam autem tum praeceptoris, tum discipuli vario nomine inter se convenire *doctrinam*, sane non mirum est. Egregia vero ratione Tholuck ²⁾ ostendit, atque Polycarpi, Ignatii, aliorumque exemplis illustravit, optime fieri posse, ut doctrinae praeceptoris *forma* quoque, omnisque *dicendi* ejus *ratio*, ad Particularum usum usque ³⁾, in discipulum transeat. Quod si verum sit, nonne in Johannis inprimis dictione se manifestare debuit intima ejus cum Christo conjunctio, qua τοῦ ἐπιστηβίου tulit cognomen?

Praeterea licet magna adsit Christum Johanneum inter atque ipsum Johannem convenientia, variae quoque ostendi possunt discriminis notae, quae tum ad ipsam utriusque doctrinam, tum etiam ad hujus formam spectant. Quae de re agens Frommann ⁴⁾ ostendit, minorem esse doctrinae Johanneae, quam Christi doctrinae *ambitum*, quoad

1) Si eff. exempla, a Crednero in catalogo modo laud. allata, patet, quot ex formulis illis Johanneis tantummodo ad structuram grammaticam aliave pertineant, quae in dictorum sensu constituendo nullam vim habent. Sic e. c. formula *χριστων ἔχεν* cum *ἑνα*, quae et XVI: 30 et I Ep. II: 27 occurrit, mera constructio grammatica est, quae quidem Christo tribui nequit, sed etiam, integro cogitationis sensu, cum alia permutari potest.

2) Cf. l. l. p. 338—340.

3) Quod tamen h. l. minus urgendum est, quoniam Aramaice locutus est Christus, Graece vero scripsit Johannes.

4) Cf. *Joh. Lehrbgr.* p. 47 sqq.

ex Evangelii Prologo et Epist. prima Joh. illa nobis innouit. Varia enim, quae Christo in Ev. Joh. tribuuntur, placita in ipsius Johannis verbis non inveniuntur. Deinde vero, ex Frommanni sententia, doctrinae utriusque *forma* in eo differt, quod Christus magis ἐν παρουσίᾳ (aenigmatische), ipse Joh. magis παρήσῃα (dogmatice) loquatur. Sed et singulae exstant dicendi formulae, quibus vel solus Christus, vel solus Johannes usus sit, licet uterque de eodem argumento egerit ¹⁾. Sic, quod ad ultimas attinet Jesu orationes, nusquam Johannes Spiritum S. vocavit παράκλητον; licet hac denominatione et ipse usus sit, ubi eam in Christum contulit I Ep. II:1. Cum autem implicite de se Ipso quoque eam adhibuerat Christus Ev. XIV:16, ubi Spiritum S. ἄλλον παράκλητον vocaverat, pulchrum hic adesse mihi videtur exemplum, quo doceamur, qua ratione Christi doctrinam in suum usum converterit Johannes. Deinde in Christi promissis, Spiritum S. spectantibus, nusquam occurrit formula ἔχειν s. λαμβάνειν τὸ χρίσμα ἀπὸ τοῦ ἁγίου (cf. I Ep. II:20, 27). Nusquam contra Johannes τὸν πονηρὸν (Ev. XVII:15 coll. I Ep. II:13, 14 al.) vocavit τὸν τοῦ κόσμου ἄρχοντα (Ev. XIV:30, XVI:11). Nusquam rursus in Ev. Joh. Christo tribuitur vox ἰλασμός (I Ep. II:2, IV:10), etsi XVII:19 ejus adhibendae fuisset opportunitas. Ab altera parte formulam ἀγιάζειν σεαυτὸν (Ev. XVII:19) non usurpavit Johannes. Qui neque usus est dictione, quam, de

1) Qua de re omnino eff. Hofstede de Groot in disputatione: *Ἡ Ὑπόστασις τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ τῆς ἐκκλησίας*. *Onderscheid tusschen voorstell. en uitdr. v. Jes. en Joh. in 't Ev. v. Joh., Waark. in L. 1837. p. 89 sqq.*, et Pareau in disquisitione: *Verschied in leer en leerwijze v. Jes. bij Joh. en v. Joh. zelven. W. in L. 1847. p. 478—518.*

discipulorum cum Deo et se Ipso communiione agens, adhibuit Christus Ev. XIV:23. Eodem modo discrimen attendatur inter XIV:9, 10^a et I:18¹). Denique et observetur, in Christi sermonibus Johanneis non inveniri duplicem illam ejusdem cogitationis enuntiandae rationem, cujus in prima Epist. Joh. varia occurrunt exempla²). Atque ita si pergeremus, plura reperirentur exempla, ex quibus appareret, non tantam esse convenientiam, quae Johannem inter atque Christum Johanneum obtineat, ut, in se spectata, in Christi orationum Johannearum authentia defendenda difficultatem pariat.

Attamen concedimus, majorem Christi Johannei, quam Synopticae Ejus imaginis cum ipsius Johannis verbis esse convenientiam. Quod autem ad doctrinae Johanneae *argumentum* attinet, primum non negligendum est, ex rei natura facillime explicari posse convenientiam, quae certatur inter Christi doctrinam, in Ev. Joh. expositam, et ea, quae in Prologo praefatus est Johannes. Hic enim, ubi Introitum scripsit, qui cum libri, cui praemittitur, materia peculiari ratione convenit, cognataque tractat iis, quae in ipso libro occurrunt, idem egit, quod ab unoquoque bono scriptore expectatur. Quod qua ratione ad breves Johannis annotationes, Christi sermonibus hic illic insertas, applicandum sit, sponte intelligitur. Deinde quid mirum, Johannem in Epistola prima quoque magnam partem talia exposuisse rerum

1) Quae sect. non Baptistae, sed Johannis Apostoli verba continet. Cf. Tholuck l.l. p. 333 sq.; et H. de Groot l.l. p. 87.

2) Cf. I Joh. I: 5^b, 6^b, 8^b; II: 4^b; al.

argumenta, quae tanti momenti ei visa sint, ut ea, quae de iisdem Christus protulerat, in Evangelium recipienda esse censuerit? Quod et probabilius redditur, si, haud magno temporis spatio intercedente, tum Evangelium, tum Epistolam ediderit.

Itaque explicandum remanet, quomodo fieri potuerit, ut illam inprimis doctrinae Christi *formam* atque *dictionem* sibi ipsi exemplo sumserit Johannes, quam in talibus rebus exponendis adhibuerit Jesus, de quibus in ipso Evangelio Johanneo loquens inducitur. Ad quod explicandum conferenda sunt, quae de discrimine, Johannem inter atque Synopticos in referendis Christi enuntiatis obvio, supra monuimus. Ex quibus apparet, Christum revera, ubi de aliis egit argumentis, alia quoque dictione usum esse. Jam igitur Christi dictio, quae apud Synopticos invenitur, minus afficere debuit Johannem, quam illud dicendi genus, quo in iis tractandis rerum argumentis usus sit Jesus, de quibus in ipso Ev. Joh. loquens inducitur. Sed *hoc* quoque facile explicari potest. Nam jure monuerunt Bleek ¹⁾ aliique, haud mirum esse, si ipsa *ea* Christi verba retulerit Johannes, quae gravissimam vim in eo habuerint. Item facile intelligitur, eum, quum magis magisque ad praeceptoris se conformaret exemplum, *illam* prae caeteris Jesu sibi sumsisse dictionem, quam in ipsis *iis* exponendis Hic adhibuerat, quae illum prae caeteris graviter affecerant. Nam haec certo prae caeteris continuo ante oculos habuit

1) Cf. l. l. p. 242; eff. etiam Crome, *Prob. haud prob.* p. 216; Paré, l. l. p. 64 sq.; Roldanus, l. l. p. 9 sq.; Pareau, l. l. p. 517.

Johannes. Haec tractantem potissimum sibi informavit Christum. Quomodo jam aliter fieri potuit, quam ut eadem dictione uti consueverit Johannes, qua in his tractandis usus erat Jesus? Denique accedit¹⁾, Synopticos pauca tantum ex illis annotasse Christi orationibus, quae haec rerum argumenta spectabant, Johanni prae caeteris cara. Quid igitur facilius est intellectu, quam ut lubens Johannes arripuerit opportunitatem, qua haec quoque cum Christianorum communicare posset Ecclesiis, quae, licet gravissimi ponderis essent, hucusque literis non mandata erant? Si ita rem nobis informemus, majorem Johannis cum Christo Johanneo, quam cum Synoptica Christi imagine convenientiam fictionis haud amplius suspicionem excitare credo.

Atvero una restat difficultas. Johannes Baptista Christi non fuit discipulus, neque Hic illum habuit praeceptorum. Sed eadem tamen, quae Johannem inter atque Christum Johanneum obtinet aequalitas, inter utrumque hunc et Baptistam invenitur. Sic formula τὴν χαρὰν πληρωθῆναι s. ἔχειν πεπληρωμένην, quae in ultimis Christi orationibus occurrit (XV:11, XVI:24, XVII:13), non tantum ab ipso quoque Johanne Apostolo usurpatur (1 Ep. I:4), sed item Baptistae tribuitur (Ev. III:29). Apparet quidem, formulam hanc tuto scriptori nostro tribui posse, dummodo laetitiae perfectae notio conservetur. Sed ecce tamen eandem rursus dictionem, idem dicendi genus, eundem cogitationum orbem. Cf. inprimis XVII:2, 3 cum Baptistae verbis III:35, 36;

1) Cf. Bleek, l. modo laud.

quin et tota pericopa III:11-21 cum 27-36 luculentam habet conjunctionem. Christus igitur eadem ratione loquitur atque Baptista 1).

Sed num tantopere mirum videtur, Baptistam de iisdem rerum argumentis eadem ratione locutum esse, quae usus sit Christus? Propheta erat Baptista, atque ut Propheta locutus est: — sed nonne et ipse Christus Propheta fuit? Propheta *Veteris T.* fuit Baptista: — sed nonne transitum fecit in Novum? (Cf. Mt. III:1, 9). Sumta autem Synopticorum axiopia, Christum inter

1) Magnam partem haec difficultas evanescit, si III:16—21, 31—36 Johanni Apostolo tribuantur. Multi hodie ita statuunt. Mihi tamen nondum persuadere potui, Evangelistam hisce II. orationes Christi atque Baptistae abrumpere. Cf. quae adversus hanc sententiam afferunt Lücke, l. l. I. p. 544 in fine, et Schweizer, l. l. p. 16. Jure Hofstede de Groot (l. l. p. 87) mediam, quam Lücke inire conatur, viam damnavit. Quod autem de Aoristi usu s. 19 affert de Gr., quippe quo Christus id temporis uti non potuerit, minorem vim habere mihi videtur, quam futura praevidens Christus haec tanquam praeterita informare potuerit, prouti saepius fecerunt Prophetae. Nec video, quare Christo tribui non possit formula *υἱὸς μονογενοῦς*, etsi solo hoc cap. ea utatur Jesus. Tertium eam adhibet ipse Johannes (I:14, 18; I Ep. IV:9); neque igitur ut solita formula Johannea *Christi* dictioni opponi potest. Dein haud facile s. 16, 18 pro ea substitui potest: *υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*; quam igitur formulam nec *Christus* hinc adhibere potuit. Quod autem ad s. 31—36 attinet, ad Praess. *μαρτυρεῖ* et *λαμβάνει*, s. 32 obvia, attendatur, quae Joh. Apostolo parum convenire mihi videntur. In contrariam partem de s. 31—36 eff. Tholuek, l. l. p. 335 sq., et Frommann, *Joh. Lehrbgr.* p. 70 sq., quorum posterior formulas collegit hinc obvias, cum Joh. Apostoli dictione congruentes, qua hic in referendis Christi dictis utitur. Quae vero dicta Johannem Apostolum Baptistae tribuere *suam* dictionem, sed multo magis testantur pro convenientia inter *Christi* dicta et ea, quae h. l. (Baptistae vel Apostoli?) verba inveniuntur.

atque Baptistam revera obtinuit dictionis similitudo. Cf. Mt. III:2 cum IV:17; et III:10, 12 cum VII:19, XIII:30. Deinde mirum sane esset, si Baptista, licet de *iisdem* rebus disserens, in Synopticis longe alio dicendi genere uteretur, quam in Ev. Joh. Hoc tamen non ita esse, apparet, si inter se comparentur ejus orationes, ab utrisque notatae. Cf. imprimis Mt. III:11 cum Joh. I:26, 27; et Mt. III:7 cum Joh. III:36 in fine. Praeterea adsunt dicta Baptistae, a Synopticis notata, quae insignem similitudinem habent cum enuntiatis Christi, in Ev. Joh. obviis. Cf. Mt. III:9 cum Joh. VIII:37; et Mt. III:10, 12 cum Joh. XV:6. Eadem similitudo inverso ordine obtinet inter Joh. III:29 et Mt. IX:15. Quae cum ita sint, Johannis Baptistae Christique dictionis similitudo satis probata esse videtur. Si vero in juven-
vero Apostolus Baptistae fuerit discipulus¹⁾, hic binos sibi invicem similes praeceptores habuit Johannes, quorum utrumque sequi potuerit²⁾. Egregia igitur ratione convenientia explicatur, quae Christum inter et utrumque Johannem invenitur. Quare nec mirum habendum est, Johannem Apostolum post Christi sermonem III:11-21 Baptistae retulisse orationem s. 27-36. Causa nempe in promptu esse videtur. Nonne propter

1) Quod effici solet ex Joh. I:35-41. Anonymus nempe ipse Joh. Apostolus fuisse videtur, qui se ipsum nusquam in Evangelio nomine committat, et historiae, illic quam accuratissime memoratae, testis oculatus fuisse videtur.

2) De Johannis Baptistae dictione, a Johanne Apostolo assumpta, cf. Ebrard, *Kr. d. E. G.* p. 294 sq.

ipsam utriusque convenientiam utramque retulerit Johannes? Ne tamen certa habeamus, quae verosimilia tantum sunt. Quicquid vero de utriusque sermonis conjunctione statuendum sit, remota est dubitatio, e simili tum Christi, tum utriusque Johannis dicendi genere sumta.

His vero expositis, nulla amplius magni momenti dubia, quae adversus ultimorum Jesu sermonum authenticitiam allata sint, removenda superesse nobis videntur. Quare huic disputationi jam finem imponere liceat.

SECTIO IV.

AUTHENTIAE, ULTIMIS JESU SERMONIBUS
TRIBUENDAE, COMPROBATIO.

Restat, ut in ultima disquisitionis nostrae parte argumentatio exponatur, qua, remotis dubitationibus, ipsa sermonum, de quibus dicimus, authenticia *comprobari* possit. Nam docuit quidem praecedens dubitationum re-
jectio, nulla peculiaria his sermonibus inesse fictionis indicia. At certa tamen dici nequit eorum authenticia, nisi appareat, omnem aliam absurdam esse, quae de his sermonibus ferri posset, sententiam. Jam vero si inquiramus, *quid* de iis statui posset, *haec* fere in censum venire credo: — *vel* fraudatoris sunt opus, qui *consulto* falsa pro veris ediderit¹⁾, *vel*, vera tradere co-

1) Prout in Introitu monuimus, Evangelii Joh. authenticia in disquisitione nostra *sumitur*. Quare tantummodo nobis probandum erit, *Johannem* impostorem non fuisse. Bauri igitur aliorumque sententiam praeterire possumus, ex qua hujus libri origo anonymo tribuenda sit, qui

natus, *in*scius alia retulit Johannes, quae ipse a Christo profecta esse putaverit, *vel* liberam accepimus sermonum Jesu *imitationem*, quae, ne *ex ipsa* quidem *scriptoris mente*, authentica eorum relatio a lectoribus habenda sit, *vel* denique vera his sermonibus tribuenda est *authenticia*, quam supra definire conati sumus. Quae igitur ut jure iis tribui possit, comprobandum est, caeteras, quas memoravimus, sententias rejiciendas esse.

Longa haud opus erit disquisitione, ex qua appareat, nec fraudatorem fuisse, nec *in*scium in referendis Christi verbis peccasse Johannem. Quam ob rem quaestio primaria, ad quam nobis respondendum erit, in eo cernitur, utrum liberam sermonum Jesu *imitationem* dedisse, an ipsos *authenticos sermones* retulisse censendus sit. In antecessum tamen tum de *fraudis*, tum de *in*scii *peccati* suspicione pauca quaedam monenda sunt.

Itaque primo loco indicandum est, sermones hos Johanneos a fraudatore originem ducere non posse, s. aliis ut utar verbis, non *eum* fuisse Johannem, qui hos sermones tanquam vere habitos s. *authenticos* ediderit, licet de eorum *fictione* ipse sibi conscius fuerit.

Plerique certe eorum, qui historiae Evangelicae investigandae laborem impendunt, a sententia abhorrent, ex

scriptum suum ut a Johanne profectum ediderit. Caeterum vero, *hoc si* status, parum sane abesse mihi videtur, quin auctor ille impostoris nomen mereatur. Ea enim, quibus hanc agendi rationem excusare conantur nonnulli, (in quibus et Bleek, l.l. p. 259), me quidem *judice*, a *fraudis* vituperatione eam deliberare non possunt. Quae igitur mox ex ipsis sermonibus adversus eorum originem, a quocumque impostore derivandam, afferemus, eodem jure contra Bauri caeterorumque, quos consentientes sibi habeat, sententiam testantur.

qua his illisve causis, *pravae indolis moralis testibus*, incitatus, in exponenda Christi historia et verbis fraudulenter egerit Johannes. Apud nonnullos vero distinctio valet inter fraudem *piam* et *impiam*. Fraus utrum *unquam* pia dici possit, h. l. discernere non opus videtur. Eas vero, quae *in Johannis agendi ratione* ut *piae* et *pravae* ostendere indolem moralem, contendo. Quae igitur de re primum breviter videndum est, ne, fraudis suspitione universe a Johanne remota, *piae* fraudis remaneat accusatio.

Ponas igitur, Jesum, *ψιλὸν ἄνθρωπον*, doctorem Justum, quem odio habebant aequales, ultimo ante mortem suam vespere cum discipulis de habitu suo aliisque rebus collocutum fuisse. Deinde ponas, Johannem, unum eorum, adaugendae magistri auctoritatis studio ductum, ita ejus verba exornasse, ut varia, e sua mente hausta, ei tribuerit, quae tum potestatis coelestis illi concessae, tum intimae, qua gauderet, cum Deo conjunctionis speciem prae se ferre viderentur. Nonne imposteris nomine dignus esset discipulus, qui fictâ gloriae divinae laureâ praeceptoris cinxisset imaginem, etsi laudis ejusmodi ipse cognitam habuisset vanitatem? Talis certe agendi ratio, sive dilectissimi magistri apotheôsin eam vocare, seu alio laudis titulo eam insignire placeat, non nisi *mendacii* nomen meretur.

Nec minore jure fraudator habendus esset scriptor noster, si praepudicatis aequalium opinionibus eorumque superstitioni ita sese accommodasset, ut, quo magis doctrinam Christi moralem ii amplecterentur, fictae auctoritatis coronâ doctrinae Ejus vim adaugere studuisset.

Etsi enim statuere velles, Johannem, ita agentem, unam aequalium salutem ob oculos habuisse, ipse tamen fingendi actus mendacem fictoris indolem ostenderet.

Idem porro de Johanne dicendum esset, si, ut relationibus, quas de Christi doctrina se tradere profiteretur, veritatis speciem tribueret, promissa finxisset, quae, tanquam discipulorum in gratiam a Christo enuntiata, informaverit. Etsi enim hac quoque in causa felicem doctrinae Christi sortem spectasset, falsam tamen sibi tribuisset auctoritatem historicam, vanamque sibi gloriam parasset, adeoque a fraudatoris nomine liber esse haud posset.

Quaecunque autem plura Johanni adscribere velis consilia, — si conscius sibi fuerit, ficta se Christo tribuere verba, eademque nihilominus diserte tanquam vera ediderit, ita ut ejus voluntati convenienter agant lectores, qui pro veris Christi dictis ea habeant, — quomodo dubium amplius esse posset, quin pravae indolis fraudator fuerit Johannes?

Vidimus igitur, nullam hac in causa cogitari posse fraudem, quam si commiserit Johannes, liber tamen habendus sit ab impostoris nomine. Itaque indagandum est, utrum fraus, cujuscunque tandem generis, obtinere hîc potuerit, s. aliis verbis, utrum fraudatoris opus esse possint sermones, de quibus dicimus, Johannei.

Cui quaestioni ut rite respondeamus, ad ipsam imprimis eorum indolem provocare liceat, quae hanc sententiam nullo modo admittere mihi videtur. Ad quod probandum, testem invoco veri sensum, qui omnibus naturâ inest hominibus, atque, experientia duce, in unoquoque, praejudicatis opinionibus haud obcoecato,

cerni solet. Hujus igitur sensus nomine, primum doctrinae, in his sermonibus obviae, omnem originem, ex fraude ductam, solenniter abjudico. Ex unoquoque vero contradicente ut explicet quaero, quomodo *ἐποικεία* illa ac divina, quae hîc inveniuntur, ab impostore fingi potuerint.

Deinde rejiciendam habeo sententiam, ex qua vera quaedam doctrinae Christi elementa hîc inveniuntur, caetera vero, inprimis omnia, quae Ejus dignitatem testantur, fraude addita sint. Eadem nempe divina Ejus doctrinae indoles vetat, quominus, vel ipsius doctrinae, vel hujus auctoris in gratiam, ita egisset impostor. Qualis enim fraudator *doctrinae* tam praeclarae amore adeo ductus fuisset, ut aliis eam commendare studuisset? Qualis fraudator doctrinae ejusmodi *auctorem* tanta prosecutus esset veneratione, ut, in Ejus honorem s. apotheôsin, divinae potestatis gloriaeve documentis exornasset Ejus sermones?

Tunc tantum explicari posse credo talem impostoris agendi rationem, si proprii commodi studio ad eam impulsus esse potuisset. Quod vero utrum hac nostra in causa in censum veniat, e vetustissima Ecclesiae Christianae dijudicetur historia: — ex ignominia scilicet, verberibus, variique generis periculis, quae perpessi sunt Nazareni discipuli. Quibus igitur e *sui* commodi studio se annumerasse Johannem, statui nequit.

Practerea ad Epistolam primam Johanneam ¹⁾ provocandum est. Cujus nempe argumentum et habitus ita conformata esse mihi videntur, ut omnem fraudis su-

1) Cujus — ut Evangelii — nunc sumo authenticam.

spicionem ab ejus auctore removeant. Ad quod probandum, ne alia afferam, memorare tantum liceat, Johannem, de falsis doctoribus illic agentem, qui in Ecclesiam irrepserant, iterata vice fraudem mendaciumque reprobasse¹⁾, eumque id *tali ratione* fecisse, ut haec Epistola veritatis studii, quo flagrarit scriptor, haud dubium praebeat testimonium.

Sed ut plura hac de re disseramus, haud opus esse credo²⁾. Quare de prima quaestione, ad quam respondendum nobis erat, haec jam sufficient.

Fraudis igitur suspicione remota, probandum est, Johannem, *vera* Christi verba tradere *conatum*, minime *inscium* alia referre potuisse, quae ipse authentica habuerit.

Primum refutatione indignum habeo eum, cui statuere placeat, vel *superstitione* vel *enthusiasmo religioso* tantopere obcoecatum fuisse Johannem, ut, veros Christi sermones se referre credens, *eam* ob causam ficta Ei verba tribuerit³⁾. Quod quam absurdum sit, e moderata Johannis indole, in scriptis ejus conspicua, satis apparet.

1) Cf. I: 6—10, II: 4, 21, IV: 20.

2) Sumtâ Actuum Apost. axiopiistiâ, ad probationis divinae signa etiam provocare possumus, quae tum in dono linguarum, tum in miraculorum edendorum potestate (Act. III: 12, IV: 7, 9, V: 12), ei concessis, expertus fuerit Johannes. Absurdum enim videtur, ejusmodi donis instructum fuisse impostorem, qui professus sit, in iis auctoritatis se habere probationem (Act. III: 6, 12 sqq., coll. ss. 1, 4.). Quod, ipso Johanne teste, egregie jam exposuit coecus, a Christo sanatus, cujus memoravit ille historiam; cf. Joh. IX: 30—33. Sed in ea, qua nunc versati sumus, argumentationis parte, ab omni praesidio, e miraculis petito, abstinere malui.

3) Sic fere de *Pseudo-johanne*, qui sacc. 2 vixerit, statuere videtur

Porro de *historiae* quoque *ignorantia*, qua in referendis Christi verbis erraverit Johannes, sermo esse hinc nequit. Quis enim ultimi vitae Christi vespere historiam melius cognoscere potuit, quam Johannes, qui testis adfuit oculatus¹⁾, et maxima, qua pollebat, attentione omnia observavit, quae egerit Christus atque locutus sit? Illius certe coenae imago vivido colore ante oculos ei fuit depicta.

Si igitur verba Christi, hac opportunitate edita, referre non potuerit, *ea* tantum hujus rei causa esse potuit, quod vel longiores fuerint Christi sermones, quam ut totos memoria tenere eos potuerit, vel quod tam bene eorum sensum haud perceperit, ut singulas cogitationes accurate referre potuerit. Quod vero ad prius attinet, sponte intelligitur, de horum sermonum longitudine *conscium* sibi esse debuisse Johannem. Quare statui nequit, eum hanc ob causam *inscium* ex sua mente quid supplevisse. Sola igitur *inscii* peccati *haec* restat causa, quod verborum Christi *sensum* minus bene perceperit. Intelligentiae gradus, quo ante Christi mortem discipuli gavisus esse informantur, is sane non fuit, ut absurda essent ejusmodi errata. Sed hac iterum in causa ad ipsum Evangelium Epistolamque Johanneam provocandum est. Ex quibus nempe apparet, Johannem postea ad majorem rerum divinarum cognitionem perve-

Brano Bauer, qui totum Ev. Joh. ea ratione exstitisse censet. De qua sententia cf. v. Oosterzee *Jaarbb. caet.* V. 1. p. 133 sqq. De Br. B. egimus Sect. I. § 2 ineunte.

1) Hoc enim, si fraudator non fuerit Joh., pro certo jam haberi posse credo.

nisse. Ad quod illustrandum, ne de aliis loquamur, Evangelii Prologum afferre liceat, quippe qui prae caeteris hujus libri partibus, philosopham spiret indolem. Quo tempore igitur Evangelium conscripserit, is non amplius esse potuit Johannes, qui, se Christum antea non intellexisse, ipse non viderit. Si igitur ne tunc quidem Christi verba melius, quam ante, percepta habuerit, vel de eorum sensu etiam nunc dubitaverit, nec fraudem commisisse habendus sit, — ab iis notandis, quae rite se tradere non posse, ipse sibi conscius fuerit, vel prorsus abstinuisse, vel certe ea, quae notavit, pro authenticis Christi verbis non edidisse censendus est.

Itaque jam eo ducimur, ut statuamus, vel liberam sermonum Jesu explicationem s. imitationem dare voluisse ac dedisse Johannem, vel ipsos authenticos Christi sermones cum retulisse. Quarum sententiarum utra eligenda sit, indagandum nunc nobis restat.

Saepius sane obtinet, ut scriptor aliquis sermonum quorundam picturam dare velit vel prorsus fictam, vel magis minusve exornatam, ita ut ejus menti convenienter agant lectores, qui non veram sermonum relationem, sed libere constructam eorum imaginem se legere censeant. Cujus rei in veterum classicorum scriptis varia occurrere exempla, notum est ¹⁾. Neque hanc ob causam scriptores illi fraudis accusandi sunt, dummodo orationes, quas construxerint, tanquam fictas ipsi ediderint, ita ut vel ex libri, quo contineantur, habitu s.

1) Cf. Thucydidis verba, de quibus diximus p. 33 et 38. Nec negligantur Platonis dialogi, qui, licet doctrinae Socraticae congruentes, formam tamen ficti esse videntur.

argumento, vel alia quadam ratione, ficta sermonum indoles lectoribus innotescere possit ¹⁾).

Quod si ad nostram causam applicare velimus, primum animadvertendum est, Johannem vel ne ipsa quidem classicorum scripta cognovisse, vel certe exemplo ea sibi non posuisse ²⁾. Ab altera tamen parte tenendum est, nondum fraudis accusatione dignum eum fore, etsi, liberam ultimorum Christi sermonum imitationem conficere conatus, fictam hanc operis sui indolem totidem verbis non expressisset. Antea ³⁾ enim vidimus, eum, sine extraordinario auxilio divino, Christi, de quibus dicimus, orationes ita in mentem sibi revocare non potuisse, ut ea, quam accepimus, vera haberi posset earum relatio. Quare, nisi sint, quae aliter statuere suadeant, absurda haud esset sententia, in se spectata, ex qua secum reputasset Johaunes, liberam sermonum longiorum structuram sponte intellecturos esse lectores, nec igitur, ut hac de re diserte certiores eos redderet, opus esse credidisset. Mirum quidem videtur, eum, si libere tantum imitatus sit Jesu orationes, c. XVII:1 et XVIII:1 scripsisse: ταῦτα ἐλάλησεν (εἰπὼν) ὁ Ἰησοῦς. Quibus enim locis tunc potius expectasses vocabulum τοιαῦτα, vel simile quid. Attamen

1) De construendis orationibus fictis cf. J. Konijnenburg, *Letter-Natuur- en Zedek. Mengel.* 1818. IV. De quo vid. *De Recensent caet.* 1819. XII. 8. p. 386 sqq. Inprimis vero consulatur E. A. Berger, *Disp. utrum probanda an improb. consuetudo historicorum caet.* in opp. soc. Bat. Harlm. *Letter- en Oudheidkund. Verhandd.* III. 2. 1820.

2) Cf. Broes *Leerred.* II. 1812. p. 265.

3) Cf. *Sect* II. § 1.

decernere nolumus, quatenus cum magis minusve libera sermonum Christi imitatione formula laudata, sine fraude a scriptore commissa, convenire possit.

Quin imo, si peculiaris divini auxilii conscius sibi non fuerit Johannes, nihil restare concedimus, nisi ut statuatur, liberiorem eum dare voluisse et dedisse sermonum Christi imitationem. Tunc enim nullo modo explicari posset, quomodo consilium ei esse potuerit, ex quo authenticas has orationes referre voluerit; s. aliis verbis ut dicam, quomodo in mentem ei venire potuerit, ut *id* agere conaretur, quod se perficere non posse, ipse cognoverit.

Jam vero videamus, quid de relationis Johanneae caractere et ipsum nos doceat Evangelium Joh., et ipsi inprimis sermones.

Sine dubio Johannes totam vitae Christi, quam retulit, imaginem non tanquam narrationem fictam, sed tanquam veram historiae relationem edidit. Sine dubio ἀπομνημονεύματα tradere voluit, quae vitam spectant viri cujusdam, qui vere non tantum hac in terra vixerit, sed ea quoque egerit et peressus sit, quae de eo narrantur. Cf. Ev. I: 14; XIX: 35; XX: 30, 31; XXI: 24, 25¹⁾, et 1 Epist. I: 1-3. Itaque jam constat, Johannem, ubi c. XIII: 2 de coena quadam loquitur, definitam opportunitatem spectasse historicam, qua cum discipulis suis varia collocutus fuerit Christus. Cum vero antea nobis

1) Verba c. XXI: 24, 25 etsi non ipsi Johanni, sed Ecclesiae Ephesinae Presbyteris, aliisque ejus aequalibus tribuendae sint, nihilominus tamen testantur, qua ratione a lectoribus acceptum sit Evangelium. Hic igitur locus egregia ratione probat, non ut scriptum fictum, sed ut relationem historicam Evangelium suum edidisse Johannem.

constiterit, nec *fraudatorem fuisse* Johannem, neque in referenda hujus coenae historia *inscium* cum *errasse*, quippe cui ipse testis adfuerit oculatus, veram esse hanc relationem Johanneam, concludimus. Eademque igitur ratione apparet, sermonum Christi, hac opportunitate editorum, veram summam retulisse Johannem.

Ante omnia igitur indagandum est, utrum, scriptoris ex mente, omnia, quae capp. XIII-XVII continentur, ad eandem hanc opportunitatem referenda sint. Si autem inspiciatur Evangelium, patet, nusquam ad alius opportunitatis historiam transire Johannem, nisi formulam quandam addat, qua transitus ille indicetur¹⁾. Nulla igitur causa adest, propter quam nostro loco aliter eum egisse statuamus. Quin imo ex interna sermonum conjunctione satis, ni fallor, elucet, omnia, quae spectamus, ad ejusdem vesperis pertinere historiam. Caeterum antea²⁾ jam vidimus, verba capp. XV-XVII item ut ejusdem coenae opportunitate enuntiata informari.

Jam vero si inquirimus, quatenus authentica habenda sint verba, quae ut hac opportunitate edita nobis traduntur, primum quaeritur, quid de brevioribus statuendum sit colloquiis, quae cum discipulis habuisse informatur Christus. Cf. XIII: 36-38; XIV: 5-9; 22, 23; XVI: 17-19; 29-31. Num ornatûs forte causa haec addidit Johannes, vel, ut peculiare consequeretur consilium, ea finxit? Sed locorum ratio et habitus satis ostendere mihi videntur, de libera historiae exornatione

1) Neque enim X: 1 novus incipit sermo; vid. X: 21 coll. capituli IX argumento; et cf., quae egregie observat Lücke in *Joh.* ad X: 1.

2) Cf. Sect. III Cap I § 2 et 3.

ne cogitandum quidem hîc esse. Quotopere enim haec differunt ab iis, quae in narrationibus fictis occurrere solent, colloquiis! Quomodo tandem ficta essent verba, ex quibus tum exiguus, quo id temporis gaudebant discipuli, intelligentiae gradus ¹⁾, tum puerilis interrogantium indoles ea ratione apparent, quam imitari non posse fictorem, sponte elucet? ²⁾ Denique attendatur, tum discipulorum interrogationes, tum Christi responsa, quae locis laud. continentur, facile memoria conservare potuisse Johannem, ita ut, quod ad psychologiam attinet hanc quaestionem, nulla h. l. difficultas adsit.

Dein minime negligatur, tum ipsa, de quibus diximus, colloquia, tum et locos XIII: 31 et XIV: 31 testari, non pro lubitu hic illic authentica quaedam, quorum meminerit, Christi verba notasse Johannem, quae, suam prorsus mentem secutus, sibi invicem conjunxerit, sed verum sermonum Jesu cursum eum tenuisse, ita ut ea, quae authentica sint, quoad summam certe, vero ordine historico relata esse, jam satis constare mihi videatur.

Sed remanet quaestio, utrum omnia, quae hîc reperiuntur, Christo sint tribuenda, an sermonum summam tantum retulerit Johannes, ita ut, paucis Christi dictis authenticis fundamenti instar positus, libera ratione aedem construxisse censendus sit. Quare videamus, utrum ipsis sermonibus plura insint authenticae indicia.

Saepe ex interna orationum Christi ratione pro ea-

1) Cum quo egregie convenit eorum interrogatio Act. I: 6.

2) Caeterum cf., quae de consilio, propter quod fictus esset locus XIV: 5—9, monuimus Sect. III. Cap. II. § 2.

rum authentia quaedam afferri solent, quibus tamen im- merito probandi vis tribui videtur. Provocatur nempe tum ad earum indolem, opportunitati, ad quam referan- tur, aptam, tum ad earum cum Christi indole conve- nientiam. Haec vero ad earum authentiam statuendam *postulantur* quidem, sed nulla tamen ratione eam *pro- bare* possunt. Objici enim posset, nihil haecce testari, nisi factoris sagacitatem s. artem, fictionisque pulcritu- dinem. Hoc sane in omni narratione ficta spectatur, ut, quantopere fieri possit, naturae congruenter omnia informentur. Eodemque modo *orationum* fictarum auctor in illud maximum impendit laborem, ut personas, quas loquentes inducat, sibi constantes depingat. Si igitur Johannis etiam consilium fuisset, ut libere Christi ser- mones imitaretur, Hujus menti, quoad nota ei fuerit, convenienter scribere, Christumque sibi constantem in- formare, quantum potuerit, conatus esse censendus est.

Sunt et alia, quae quidem sermonum authentiam ali- quatenus reddant verisimilem, quibus vero probandi vis itidem deneganda est. Huc e. c. imaginis usus pertinet cap. XV:1 sqq., Judaeorum loquendi rationi congruens, ut et convenientia inter nonnulla Christi dicta, his in sermonibus obvia, aliaque Ejusdem enuntiata, a Synop- ticis notata ¹⁾.

Sed plura doceri nobis videmur, si attenti sermones percurramus, atque tum uniuscujusque dicti indolem, tum mutuum singulorum dictorum conjunctionem con- templemur. Ex quo primum apparet, varia Christi dicta e parvis illis colloquiis pendere, quae Eum inter et

1) Quae vid. S. III. C. I. § 2.

discipulos obtinuerint. Ea nempe spectamus, quae horum interrogationibus ansam dederunt. Quae ipsae si authenticae sint, illa spuria esse vix possunt, e quibus pendent.

Sed alia etiam hic inveniuntur Christi enuntiata, quae authenticae secum ferant velut sigillum. Quibus imprimis XIV:1 sqq., 12, 27, 28, 30, 31, XV:1 sqq., 15, 16, XVI:20 sqq., 25, XVII:19, 24 annumerari vellem¹⁾. At fateor tamen, horum dictorum authenticam, nisi alio quoque fundamento nitatur, magnam partem e sensu nostro q. d. subjectivo pendere. Praeterea etsi vel maxime de ea constaret, caeterorum tamen authenticam remaneret probanda.

Deinde ad saepius repetitam similibus argumentorum commemorationem attendatur, quae his in sermonibus obtinet. Cujus rei testes sunt XIII:34, XV:12, 17; — XIV:21, XV:10, 14; — uti et loci, Spiritum S. et Christi reditum spectantes, aliique. Quae repetitiones cum animi commotione, quam hoc vespere expertus esse debuit Christus, egregie conveniunt. Quod eo luculentius cernitur, si attendimus, non vanas hinc occurrere earundem prorsus cogitationum repetitiones, sed unumquemque fere locum aliquid novi continere. Jam nihil certe facilius explicatur, nisi ut ea, quae Christo mox abituro cum discipulis communicanda restabant, non ordine systematico s. disquisitionis instar, sed promiscue tractaverit, ita ut saepius ad eadem rerum argumenta reversus sit. Quae tamen hominis commoti conditio haud ea

1) Cf. etiam, quae de discrimine inter Christi Johannei ipsiusque Johannis dictionem monuimus S. III. C. II. § 4.

esse mihi videtur, ut Johannes, si libera tantum ratione Christi sermones tradidisset i. e. partim finxisset, eam in scribendo consulto observasset. Nec probabilis sententia est, ex qua, confusa scribendi ratione, quae ei propria esset, eo ductus fuerit, ut, in conficienda libera orationum Jesu imitatione, iterata vice eadem tetigisset argumenta.

Denique et obscuriora, quae hisce sermonibus insunt, eorum authenticæ præsidium præbere mihi videntur¹⁾. Neque hæc enim ornatus causa in libera sermonum Christi imitatione addi s. fingi potuerunt. Si dicta Jesu mutasset Johannes, omnem certe operam adhibuisset, ut obscuriora, quae dixerat Christus, ita interpretatus fuisset, ut de sensu nullum amplius dubium esse posset. Quod autem ad locos, Christi reditum spectantes, attinet, qui in obscurioribus illis primarium fere locum obtinent, quomodo tandem, post *corporeum* Ejus in vitam reditum, ita ea retulisset, vel immutasset Johannes, ut reditum *spiritualem* magis spectare videantur²⁾? Nisi mira igitur idearum confusione in libera imitatione construenda captus fuerit Johannes, hæc quoque verba authentica esse debent.

Varia igitur sunt, quae ab ipso Christo repetenda esse videantur. Fatendum tamen est, nondum apparuisse, utrum singula *omnia*, quae hîc inveniuntur, dicta authentica habenda sint. Quin imo, quominus id statuamus, gravem illam obesse vidimus difficultatem psychologicam, ex eo petitam, quod sine extraordinario Dei auxilio nec totos hos sermones in memoriam sibi

1) Cf. quae supra de iis monuimus S. III. C. II. § 3.

2) Cf. v. Oosterzee L. v. J. III. 1. p. 192.

revocare potuerit Johannes, neque igitur consilium ei esse potuerit, ex quo eos tradere conatus sit. Antea ¹⁾ quidem nobis apparuit, minime absurdam esse nec Deo indignam sententiam, ex qua Johanni concessum fuerit ejusmodi auxilium. Attamen aliquod jure optas historicum ejus indicium. Sed iidem antea contendimus, ipsis his sermonibus inesse locum, quo tale indicium contineatur; nempe c. XIV:26^b, quo Christo hoc tribuitur promissum: *ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον . . . ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν.*

Verum enim vero jam multos audio, nec historiae Evangelicae oppugnatores tantum, sed et defensores, mihi objicientes, totam hujus loci vim apologeticam perire, quoniam omni, quod ex eo sumere quis velit, probandi argumento non inesse non possit petitio principii. Utrum vero modus, quo hac in disquisitione locus ille adhiberi posse nobis videtur, eâdem quoque difficultate prematur, infra appareat. Si vero jure ex eo effici possit, Christum Johanni promisisse tale auxilium, illudque igitur revera ei concessum fuisse, facile quoque apparere poterit, eum in his sermonibus annotandis eodem auxilio usum fuisse.

Primum igitur indagemus, quisnam hujus dicti sensus sit. Quaeritur nempe, utrum talis h. l. promittatur Spiritus S. in Apostolorum memoria efficacitas, qua non tantum doctrinae Christi summa, sed singuli quoque nonnulli Ejus sermones in mentem iis revocarentur, i. e. utrum peculiare auxilium divinum pollicitus esse tradatur Christus, quo singulorum Ejus dictorum copiam, longi-

1) Cf. Sect. II. § 2.

oresque Ejus sermones ita referre possent discipuli, ut authenticæ nomen iis conveniret.

Antea ¹⁾ jam locuti sumus de verbis *ὁ παράκλητος . . . ὑμᾶς διδάξει πάντα*, et promissum iis contineri vidimus, ex quo Spiritus S. post Christi abitum discipulos omnia edoctrurus esset, quibus, ut munere Apostolico rite fungi possent, iis opus foret. Simul vero nobis apparuit, hanc Spiritûs S. institutionem, ut cum ipsius Christi doctrina arctissime junctam, informari. Cui nempe ut fundamento superstructa esset, ita ut eam tum explicaret, tum amplificaret. Cf. inprimis XVI:12-14.

Ex his autem facile quis efficere posset ²⁾, nostro loco ita discernendum esse, ut verbum *διδάσκειν* ad doctrinæ Christi *amplificationem* referatur, sqq. vero: *καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν* ad ejus *explicationem* spectent. Sed ea ratione inter utramque hanc notionem distinguere posse non credo. A verbo *διδάσκειν* nempe h. l. abstrahi nequit *explicationis* significatio. Ea ipsa enim, quæ nunc nondum ferre poterant discipuli, quæque iis patefaceret Spiritus S., ut antea itidem monuimus, simul et ea *explicare* debuerunt, quæ cum iis communicaverat ipse Christus. Deinde grammatica verbi *ὑπομνήσκειν* significatio non est: „melius perspicendum aliquid præbere”, sed: „in memoriam revocare, memoriam alicujus rei aliquem facere, attentum aliquem redere ad aliquid, quod vel oblitus sit, vel cujus saltem

1) Cf. Sect. III. C. II. § 1.

2) Prouti et visum est Wettio, nec non ante eum (ut videtur saltem) Theophylacto, cujus verba vid. apud Lückium ad XIV:26.

non memor sit" 1). Cum actu nempe τοῦ ὑπομιμνήσκει saepius quidem arcte *conjuncta est* earundem rerum explicatio, quarum quis memor factus est 2); sed facillime tamen cogitari potest, nonnulla in memoriam cuidam revocari, s. quorundam memorem aliquem reddi, quae tamen haud simul explicantur. Cum igitur verbo διδάσκειν h. l. jam insit explicandi notio, hanc ad verbum ὑπομιμνήσκειν minus urgendam esse censeo. Itaque promissum: ὑπομιμνήσει ὑμᾶς κ. τ. λ. a reliqua, qua gauderent discipuli, Spiritus S. institutione omnino distinguendum est, et ad peculiarem Ejus efficacitatis partem respicit 3), qua verba Christi in memoriam iis revocaturus esset.

Sed jam quaeritur, quid formulâ significetur: πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. Et primum quidem attendatur, vocabulum πάντα satis ostendere, non tantum de doctrinae Christi argumento praecipuo, sed de toto ejus ambitu hic dici. Contendere equidem nolo, ad literam singula omnia spectari, quae unquam Christus in docendo verba ediderit. Prouti enim prius πάντα, quod ad διδάσκειν pertinet, interpretandum est per: "omnia, quibus ad munus Apostolicum discipulis opus foret," ita hoc quoque loco omnia Christi verba spectari mihi videntur, quatenus in

1) Cff. Luc. XXII: 61; 2 Tim. II: 14; Tit. III: 1; 2 Petr. I: 12; 3 Joh. s. 10; Jud. s. 5. Alibi in N. T. non occurrit.

2) Cff. Joh. II: 22 et XII: 16; quos locos ad XIV: 26 affert de Wetten; qui tamen non probant, ipsi verbo μιμνήσκειν et ὑπομιμνήσκειν inesse explicandi notionem.

3) Quod et aliquatenus dictum sit adversus Lückium, qui verba διδάσκειν et ὑπομιμνήσκειν arctius conjungere studet. Caeterum facile concedo, verborum Christi recordationem, hunc quoque in finem obtinuisse, ut eo facilius explicari possent.

Evangelii denuntiatione, tum ore tum scripto praestanda, eorum recordatione iis opus esset. Attamen verbis πάντα ἅ εἶπον ὑμῖν tanta certe dictorum Christi copia significatur, ex qua integer singularum doctrinae Ejus partium elucere potuerit complexus.

Dein observandum est, Christum, ex ipsa Johannis narratione, longioribus edendis sermonibus doctrinam suam tradidisse. Qua in re tuto fidem ei habere possumus. Licet enim liberiolem tantum Christi sermonum imitationem dederit, ipsi tamen adesse debuerunt sermones, quos imitaretur. Vidimus enim, non prorsus ex sua mente eum construxisse orationes, sed Christi sermonum cursum eum secutum esse. Quid? quod certum fere videntur, non pauciora, sed plura, quam quae apud Johannem reperiuntur, hac opportunitate edidisse Christum. Jam vero si longioribus orationibus edendis discipulos instituerit Christus, quaenam alia verbis πάντα ἅ εἶπον ὑμῖν spectari potuerunt, nisi uberiores illae doctrinae Ejus expositiones, quarum nonnullas ipse memoravit Johannes? Ad quod probandum afferre item licet verbi εἶπεν usus, quod a Johanne vel de singulis, quae laudantur, dictis adhibetur, vel et nonnunquam¹⁾ de peculiari alicujus rei expositione vel denuntiatione apud eum occurrit. Quare nec negligendum esse videtur, pro formula πάντα ἅ εἶπον ὑμῖν aliam similem non legi: πάντας τὴν διδασχὴν ἐμὴν²⁾ s. πάσας τὰς ἐντολὰς ἐμοῦ³⁾.

1) Cf. III:12; IV:29, 39; X:24; XIV:2; XVI:4 fine; XX:15. Denique et XVIII:21 de peculiaribus orationibus, coram populo habitis, hoc verbum interpretandum esse, e coll. s. 20 apparet.

2) Cf. VII:16, 17.

3) Cf. XIV:15, 21, al.

Quae cum ita sint, formulâ, de qua dicimus, *extraordinarium Dei auxilium* significari credo. Licet enim talis non spectetur facultas, qua integros omnes Christi sermones ad verbum usque in mentem sibi revocarint discipuli, de ipsis tamen Christi dictis, eorumque pluribus, quam quae solita memoriae vi teneri possent, hîc dici constat. Si enim nonnulla tantum proverbia, praeter caeteris gravia, spectari statuas, quomodo de toto doctrinae Christi ambitu hîc sermo esse posset, ad quem tamen respici modo vidimus?

Concludimus igitur, omnino de authenticis Christi sermonibus, extraordinario Spiritus S. auxilio discipulis in memoriam revocandis, promissum, de quo dicimus, accipiendum esse. De cujus *sensu*, cum nobis constet, jam in ejus *authenticam* inquirendum est. Concedimus enim, hanc probandam esse, antequam pro sermonum authenticia argumentum jure in eo quis quaerat. Posset nempe et ipsum hoc promissum ad liberam sermonum Christi imitationem pertinere, quam hîc nonnulli inveniri statuunt.

Sed primum animadvertere liceat, Johanni ut *ipsam hocce promissum* memoriae mandaret, non opus fuisse extraordinario Dei auxilio. Primum enim tam breve est, ut memoria facile teneri possit. Dein vero, si illud ediderit Christus, vehementer Johannem tangere debuit, ita ut praeter multis aliis Christi dictis memoria servari debuerit, quin imo ex ea evanescere haud potuerit. Rara nempe attendatur ejus indoles ac mira vis consolatoria. Mox a discipulis abiturus erat Christus, nec, quo se conferret, iis notum erat. Aliquando quidem rediret, sed, quid de reditus illius indole statuendum esset, dubitabant. Tristes

erant atque pleni doloris. Alium nunc Christus iis promittit Paracletum, qui, Ejus locum suscipiens, plenius eos institueret, iisque in omnibus adesset. Sane jam hoc tristitiam eorum magnopere mitigare debuit. Attamen nondum prorsus certe perceperunt, quid in ipsis operaturus esset Paracletus. Ipsa nempe Christi praecepta et colloquia, imprimis uberiores doctrinae suae expositiones, quas saepius cum iis communicaverat, temporis fluxu magnam partem ex eorum mente evanescerent, nec amplius de iis Eum rogare possent. Jam vero quantopere tangere eos debuit promissum: *ὁ παράκλητος ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν!* Nonne praeterea hoc ipsum prae caeteris omnibus, quae de Spiritu S. iis dixerit Christus, intellectu facile esse debuit? ¹⁾ Quin imo haec dicti indoles atque momentum jam authenticae fere ei imprimere videntur sigillum. Constat certe, Johannem, si Christum haec verba enuntiantem audiverit, facile ea memoria tenere potuisse, imo fere debuisse.

Deinde vero nulla ratione hoc promissum fugere potuit Johannes, nisi apertam fraudem commiserit; quod statui non posse vidimus. Nam si ab ipso Christo illud repetendum non sit, unde tandem conjicere potuit Johannes, tale quid cum Christi mente et consilio conimitatione? In libera dictorum alicujus amplificatione s. natur, quae cum hujus mente conveniant, ea, quae non authentica sunt, in aliis, iisque authenticis, alterius

1) Nec non rursus ita confirmatur sensus, quem huic promisso tribuendum esse antea probare conati sumus. Sic enim luculenter apparet consilium, quod enuntiando illo consequi studuerit Christus.

enuntiatis fundata esse debent. Itaque Johannes quoque ex alio Christi promisso, eoque male intellecto, ansam sumere debuisset, ut hoc Ei tribueret, de quo nunc dicimus, enuntiatum. Sed si vel nonnunquam Christum male intellexisset, hoc loco ejusmodi idearum confusio rem non explicaret. Si enim ex hoc illove Christi enuntiato immerito effecisset Johannes, tale Spiritus S. Eum promississe auxilium, quale h. l. spectatur, ipse eventus eum docuisset, se Christi mentem perverse cepisse. Vidisset enim, auxilium illud, quod a Christo promissum esse putaverat, sibi non concedi. Quod si viderit, quomodo, diu post Ejus abitum Evangelium conscribens, idem tamen promissum Ei tribuere potuit? Sane si ita egisset, fraudis suspicionem evitare haud posset. Lectores enim in errorem induxisset, de promisso a Christo dato, quod non dederit; quo vero fingendo falsam sibi facultatem tribuerit Johannes, ita se informans, ac si scilicet authenticos Christi sermones tradere potuisset.

Sed objiciat quis, non nimium urgendam esse verborum XIV : 26^b significationem; Johannem enim fortasse nec facultatem illam sibi tribuere voluisse, nec secum reputasse, tale quid ex ejus verbis effici posse. Atvero hoc si statuendum esset, veram verborum, quae literis mandavit, significationem et vim ne ipse quidem Johannes perspexisse censendus est. Quod fieri quidem potuisset, si authentica Christi verba ad literam fere transcripsisset; si vero haec verba *finxerit*, ipse ea *formare* debuit, nec, nisi prorsus imbecillum atque imperitum eum habere velis, quid denotent, ignorare potuit. Haec igitur objectio sibi ipsa repugnat.

Itaque nisi vel impostor vel demens habendus sit

Johannes, authenticum esse debet Christi, de quo dicimus, promissum. Quod quantopere cum discipulorum conveniat conditione, modo jam vidimus. Nec minus cum Christi consilio congruit, ex quo de Eo „testaturi essent” iidem (cf. XV:27), et cujus muneris obeundi hanc ob causam facultatem haberent, quoniam „ab initio cum Eo versati erant”, Eumque igitur tum agentem viderant, tum *audierant disserentem*.

Itaque Johannes una cum caeteris discipulis ejusmodi expertus est auxilium divinum, quo longiores etiam Christi sermones cum auditoribus communicare literisque mandare potuit. Qua si instructus fuerit facultate, non est quod dubitemus, eum in referendis Christi sermonibus eâ usum fuisse.

Praeterea ipse lectores suos aliquatenus induxit, ut hanc sententiam foverent. Minime enim negligendum est, eum alia quidem nonnulla ¹⁾, non vero hocce promissum ex his sermonibus omisisse. Cuiquam autem eos legenti sponte se offert quaestio, quomodo tam longae orationes authenticae esse possint. Sed et lectori in oculos incurrit, hoc in promisso velut responsum dari, quo quaestio illa solvatur. Si igitur Johannes, tantam dictorum copiam adnotans, quam sine peculiari Dei auxilio memoria tenere haud potuerit, simul cum iis referat promissum, tanquam a Christo datum, quo ipso *explicatur*, quomodo haec omnia conservare potuerit, ipse suos lectores in opinionem ducit, qua authenticos se legere Christi sermones sibi persuadeant. Quodsi igitur, licet extraordinario Dei auxilio, de quo diximus, gavisus,

1) Ut S. Coenae institutae narrationem, aliaque, de quibus cf. Sect. I. § 1.

non nisi liberam tamen eorum imitationem dare voluisset, hoc Christi promissum certo omisisset.

Cum igitur omnia contestentur, eum hoc quoque loco authenticas tradere voluisse Christi orationes, *concludimus, ultimas has Christi orationes authenticas esse habendas.*

Imo vero, haud absurda mihi videtur sententia, ex qua hanc quoque ob causam una cum aliis multis Christi dictis hoc promissum notaverit Johannes, ut, quomodo authenticos tradere *potuerit* Ejus sermones, lectoribus suis velut tacite explicaret. Quod "*consilium*", — ut nos quoque de scriptoris consiliis loquamur, — eo indignum sane non fuisset. Caveamus vero, ne certa habeamus, quae non nisi conjecturae instar haberi possint.

Melius nostro cum consilio congruit, ut, antequam huic disquisitioni finem imponamus, de hujus promissi momento apologetico pauca addamus. Ac primum quidem, si hac ratione ad Christi sermonum, de quibus egimus, authenticam probandam hoc dictum adhibeatur, "*petitionem principii*" q. d. argumentationi inesse non credo. Quod *jure* adversus hujus loci usum apologeticum affertur, si probandi argumentum ex eo hauriatur, antequam tum de scriptoris indole, tum de ipsius dicti authenticia constiterit. Ubi vero de hisce constat, valet argumentatio.

Neque ad solos ultimos Christi sermones hoc spectat promissum, sed ad omnes referendum est, quas Johannes nobiscum communicavit Ejus orationes. Formula enim πάντα ἢ εἶπον ὑμῖν non ea tantum spectat, quae proxime praecedunt, sed ad omnem doctrinae Christi,

quam aliis quoque temporibus coram discipulis explicuerat, ambitum pertinet, cujus et caeteri Ejus sermones, a Johanne notati, partem referunt. •

Deinde si omnibus suis Apostolis extraordinarium illud Spiritûs S. auxilium Christus promisit, Matthaeus quodque eo gavisus fuit. Si igitur Evangelium, quod ejus nomen fert, jure authenticum vocari possit, nec non de scriptoris axiopistia constiterit, — sermonum, quos *hic* annotaverit, authenticia ex eodem Christi promisso comprobari poterit.

Sed praeterea observandum est, peculiare, quo gavisi sunt Apostoli, auxilium divinum non eam tantummodo vim habuisse, ut *scriptis mandare* potuerint Jesu sermones, sed item effecisse, ut *traditione orali* continue de iis testari potuerint. Ipsi igitur Apostoli primum cum sociis suis Christi sermones communicasse censendi sunt. Deinde hi iterato labore multa Christi enuntiata — imprimis et parabolas ¹⁾ — memoriae mandare et *suis* rursus discipulis tradere potuerunt. Sic vero Marcus et Lucas etiam, vel ab ipsis Apostolis, vel ab eorum sociis Christi sermones accipere potuerunt. Unde simul melius explicatur, quomodo duumviris hisce in mentem venire potuerit consilium, ex quo authenticos Christi sermones scripto referre susceperint, quos nec ipsi audiverant, nec, si audivissent, satis accurate reddere potuissent. Quod quatenus revera iis *fuert* consilium, — imprimis quatenus hoc *consecuti sint*, (comprobatâ Evangelii secundi et tertii authenticâ), tum ex iis, quae de fontibus,

1) Quae ob singularum partium cohaerentiam facile memoria teneri possunt.

ex quibus hauserint, nobis innotuerunt, tum ex interna Evangeliorum ratione, necnon cum Ev. Joh. et Mt. collatione, quantum possit, effici debet.

Apparet igitur, locum Joh. XIV: 26 firmum praebere fundamentum, quo omnis sermonum Christi authenticitas nitatur comprobatio. Quare Johanni gratias agimus, quod illud nobiscum communicaverit Christi promissum. Inprimis vero hujus dicti argumentum nos impellit, ut optimi Magistri summiq[ue] Regis admiremur tum potestatem, tum sapientiam, qua ejusmodi donis Apostolos suos instruxerit, ut ipsa ea, quae dixit, quatenus opus erat, accurate tradere, eorumque cognitionem ad nos propagare potuerint. Nunc enim non amplius dubium est, utrum bene Ejus mentem ceperint, an minus recte forsitan Eum intellexerint. Sed firmo contra innitimur fundamento, si in Ejus doctrinam inquirere velimus. Quae non tantum cum Christi historia arcte conjuncta est, sed et ipsa ejus partem efficit, ita ut de ea quoque valeat proverbium, nostro inprimis tempore rite tenendum: "Religio Christiana rebus in facto positis nititur."

THESES.

I.

Evangelium Johanneum authenticum est.

II.

Convenientia, quae inter Justinum M. et Pseudoclementinas, in afferendo Christi dicto Ev. Joh. III: 3-5 a textu Johanneo aberrantes, obtinet, non ea est, quae testetur, Justinum Ev. Joh. non cognovisse.

III.

Verosimile est, Johannem, Evangelium conscribentem, ad varios quoque sui temporis errores respexisse.

IV.

Rejicienda est Weissii conjectura de diversa sermonum Johanneorum et caeterae Evangelii Joh. partis origine.

V.

Ultimis Jesu sermonibus et precibus, a Johanne nobis traditis, authentia tribuenda est.

VI.

Verba Joh. III: 16-21 Christo tribuenda esse videntur.

VII.

Joh. VII: 8 pro vocabulo $\sigma\upsilon\pi\omega$ (ante $\alpha\nu\alpha\beta\epsilon\lambda\iota\omega$) substituendum videtur $\sigma\upsilon\kappa$.

VIII.

A locis Joh. XIV: 18 sqq. et XVI: 16 sqq. non omnis abstrahi potest corporei Christi reditús significatio.

IX.

Matth. XXVI: 34 et Joh. XIII: 38^b duo diversa Christi dicta continere videntur.

X.

Vaticinium Michae cap. V: 1-4^a ad Messiam spectat.

XI.

In Evangelii denuntiatione Petrum inter Paulumque nulla adfuit pugna.

XII.

In doctrina de τῷ λόγῳ Johannem inter et Philonem non ea est convenientia, ex qua sequatur, illum prorsus ex hoc pendere.

XIII.

Verba Joh. XIV:28 in fine divinae Christi naturae non repugnant.

XIV.

Inter Christi q. d. ἀναμαρτησίαν et divinam Ejus naturam rite est distinguendum.

XV.

Pulcre Turretin (*Opusc.* I, p. 13 (20)): „Ne splendidissimum quidem Miraculum Transsubstantiationi fidem potest conciliare. Nam ut Miraculo credatur, fides sensibus habenda est. Si vero sensibus fides habeatur, actum est de Transsubstantiatione.”

XVI.

Recte Hagenbach (*Dogmengsch.* II, p. 213): „Die Kirchenverbesserung des 16 Jahrhunderts war eben so wenig eine bloß wissenschaftliche Dogmencorrection, als eine vom dogmatischen Grunde getrennte, bloß auf die äusserlichen Lebensverhältnisse (auf Verfassung und Cultus) gerichtete Revolution: sie war eine allseitige kirchliche Reformation auf dem Grunde des neuerwachten evangelischen Glaubens in seinen practisch-sittlichen Beziehungen.”

XVII.

Doctrinae Christianae *moralis* praestantia in eo quoque cernitur, quod ipsum religionis auctorem sectatoribus suis exemplo proponat.

XVIII.

Sermonis Sacri argumentum et partes verbis quam brevissimis indicari debent, ita tamen ut nullum damnum capiat clara eorum enuntiatio.